

000 A 231
6

Hist:
III C. 1

la INITIA
RELIGIONIS CHRISTIANÆ
INTER HVNGAROS
ECCLESÆ ORIENTALI ADERTA.

23
DISSESTITO
HISTORICO-CRITICA

QVAM
A. D. O. M.

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM
ORDINIS VOLVNTATE
AC NVTY
IN REGIA FRIDERICIANA
PRÆSES
GODOFREDVS SCHWARTZ
IGLOVIA-SCEPUSIENSIS HVNGARVS
PH. MAG.

ET
RESPONDENS
ANTONIVS JOHANN
REG. BORVSS.
PHIL. ET THEOL. CVLT.
DEFENDENT

AD D. PR. KAL. MAJI A. S. CI 10 CCXL. H. L. Q. C.

HALAE MAGDEB.
TYPIS IOANNIS GOTHOFREDI MEYHIL.



CAPVT I.
INSTITVTI RATIO.



§. I.

Cum, de initiis religionis Christianæ inter Hungaros, differere nobis sit constitutum, testimonia & exempla omnia omittimus, in quibus non obscura quidem sinceri cultus divini vestigia obvium est animadvertere, qua tamen de Hungaris accipi non possunt, verum ad gentes earum regionum, quas ambitu suo Hungaria olim complectebatur, sunt referenda. Sed nec, quo loco apud *Hunnos* antiquos atque *Avares*, quos majoribus Hungarorum plerique omnes nostratrum accensent, res Christiana sita fuit, in praesenti dispiciemus. Id quidem ad liquidum ostenditur, Hunnos veteres coelestis veritatis luce non prorsus orbos, Aavares largo illius jubare fuisse perfusos (a). Quidquid

A

vero

(a) De statu religionis Christianæ in *Pannonia veteri* lucisque, quæ *Hunnis* etiam atque *Avaribus* adfulsit, radiis, videatur **MELCHIOR INCHOFER**, Soc. Jesu, in *Annalibus ecclesiasticis regni Hungar.* Romæ 1644. in fol. *Tomus secundus*, cuius auctor, ad calcem operis, spem lectoribus fecit, lucem nunquam adspexit: teste illustri *Gentilotti* bibliothecæ, dum viveret, Augusti Cæsaris praefecto, in literis ad Virum longe Celeberr. *Martinum Schmeizel*, quem honoris gratique animi declarandi causa, nomine; eo enim duce, ad res Hungarie cognoscendas ac repetendas altius, viam quandam sum ingressus. Ceterum *INCHOFERI Annales*, liber haud facile obvius, sed sua potius mole, quam ab ingenio & rerum pondere, pretiosus. Nam cum ecclesiastica auctor unice tractanda suscepisset, peregrinis rebusque civilibus, fabulis ac putidis conjecturis, se rotum immergit. Parasitus turpis, eis, inter quos scripsit, usque ad contumeliam nostrorum, serviens. Si majoris auctioratis censuram requiris, eouile, quaevo, Perill. Dn. de *LVDEVVIG Rechtliche Erläuterung der Reichs-Historie*, prefationis pag. LXXX. sq.

vero de utrisque sit, *Hungari* tamen, cum seculo a Christo nato IX. in Europa inclaruissent, ejusque fines funestis passim cladibus perculissent, idola & profanos barbarorum ritus coluerunt, a Christo euangeliique Christiani doctrina longe alienissimi. Seculo demum X. atque XI. tota gens, abjecta superstitione, desertisque delubris avitis, ad verum deum conversa inque gremium Christianæ ecclesiæ, divino munere, collecta est. Et de hoc *solemni ac publico* Hungarorum ad Christum *transitu agere* instituimus: non ut longo omnia ordine enarremus, quæ per vices gesta sunt, donec aspera gens disciplinam Christianam patienter ferret: id maxime operam dabis, ut genuina ejus initia proferamus, eademque, ecclesia orientali adserta, a dubiis & fabulosis narrationibus repurgemus.

CAPVT II.

S. STEPHANVS ET GEYSA
religionem Christianam inter Hungaros in primis propagant ac stabiliunt.

§. 2.

S. Stephanus in religione Christianam apud Hungaros merita. **T**otum illud opus illusstre, & vere excelsum, Stephanus I. Regis providentia, liberalitati maximisque, post deum, laboribus in acceptis referri solet. Nec nobis Regi optimo gloriam, quam meruit, detrahere est animus. Nihil enim omisit profecto, ut totam, quod in ipso erat, gentem ad Christianum traduceret. Nam ut novella religio, felicibus plantata auspiciis, altiores in animis populi radices ageret, nec facile iterum exscinderetur, ædes sacras, per universos regni fines, excitari jussit, ornamenti eas donavit, singulis presbyteros ab Episcopis dari præcepit (b). Summis ejus meritis adnumerari solet, quod augustiores quasque ecclesiæ, regia munificentia, ipse condidit, opibus & redditibus perpetuis.

(b) Legem S. Regis, hanc in rem conditam, videsis *Decretorum ejus libro II. cap. 34.* in *Corpore juris Hungarici*, ad calcem item *Bonifacii*, ex editione Sambuci. Stephanus legem instauravit *S. Ladislau* Rex, *Decretor. lib. I. cap. 7. ll. cc.*

petuis instruxit, atque, ut ordo & disciplina ecclesiastica sarta tectaque maneret, *decem episcopas*, metropolitanam præterea Strigonensem constituit (c). Singulis istis lautos, in amplissimis dioecesibus, *proventus*, & exaggeratos honorum ac dignitatum cumulos, admensus est. Sic enim, ea atate, ecclesia commodis optime consuli, creditum. Omnes religiosissimi Principis conatus & euras præclaras, pro stabilienda & provehenda re, inter suos, Christiana, non enarrabimus; notiores enim sunt, quam ut ulla commemoratione indigeant. Tacemus hinc antiquitatis, de sanctitate ejus de que prodigiis, ad cineres demortui observatis, persuasionem, usque adeo firmam atque eximiam, ut *sacerdotum ordinis* eum adscriberet. Apud posteros vero *Hungarorum Apostolus*, *vir ac Rex apostolicus*, dici meruit.

§. 3. Stephano igitur principem, inter propagatores religionis Christianæ apud Hungaros, locum ultra deferimus. Sed, ut omnia suas habent causas, prima quædam exordia & succendentia incrementa, ita explicandum omnino, a quibus initis tam efficax religionis sanctæ agnitus, ejusque propaganda studium illud ardens, in Stephano sese exseruit. Nuptias cum *Gisela*, Henrici II. Imp. Vtrum Ste-
forore, tantum valuisse, SIGEBERTVS GEMBLACENSIS, ALB. KRAN-
TZIVS & JOH. AVENTINVS persuasum nobis eunt, ut ipse Rex, cui nuptias
sponsam hac lege & conditione pactus erat Imperator, sacro fontis cum Gisela
lavacro succederet, gentemque inde suam, *Gisela Reginæ* instinctu ad Christum
potissimum, Christo adsereret. Juvat audire scriptores, neque
enim satis inter se consentiunt. Primum tamen omnium HER-
MANNVM CONTRACTVM videamus, ut dilucidius pateat, quo ambitu
sententiarum simplicem illius narrationem chronographi succeden-
tes, ex suo quisque ingenio, interpolarunt. HERMANNI, in notis,
de Henrico Imp. ista sunt: *Hujus fror Gisela Stephano, Regi Un-
gariorum, qui se ad fidem Christi converterat, quasi vere juxta nomen*
A 2 suum

(c) De episcopatum illorum numero nominibusque diligenter dispu-
tar SAMVEL TIMON, Soc. Jesu, in *Imag. Hung. novæ cap. VIII. pag. 56.*
Sed utrum questionem expediverit, nescio. Prodiit liber Caf-
sovia, sub tit. *Imago antiquæ & novæ Hungarie* a. 1733 & 1734 in 8.

suum fidei obses, in conjugium data. Et alibi, Stephanus, inquit, Hungarorum Rex b. m. obiit; qui se ipsum, cum tota gente sua, ad fidem Christi, ex gentili errore, convertit (d). Hec HERMANNVS, de quibus paulo post videbimus. Nihil tamen ille nuptiis, nihil Gisela precibus, nihil officiis Imp. attribuit, que omnia magis magisque exaggerant sequiores.

Adfirmant
Sigebertus
Gemblacen.

Krantzius.

Aventinus.

SIGEBERTVS quidem, Gens Hungarorum, inquit, hactenus idolatrie dedita, hoc tempore ad fidem Christi convertitur, per Gislam, sororem Imp. que, nupta Hungarorum Regi, ad hoc sua instantia Regem adduxit, ut se, & totam Hungarorum gentem, baptizari expeteret; qui in baptismo Stephanus est vocatus (c). KRANTZIVS ex Sigeberto locum in Metropolin suam transferens, cum eo ceteroquin congruit, grandius tamen sonans, pro eo, quod Sigebertus dixit, ad hoc sua instantia Regem adduxit, quasi Gisela nescio quantopere Stephanum reluctantem habuisset: *Non desit*, inquit, *aures pulsare mariti, donec pervinceret* (f). At cothurnate, præ ceteris, AVENTINVS, Adiunt, inquit, legati Ugrorum, pacem cum Hainrico perpetuumque fœdus componunt. Rectori eorum, filio Gezonis - - Gisala, soror Hainrici, despontetur, hac lege atque omni, ut ille, explosa falsorum deorum superstitione, Christi unius, & veri summi dei, cultum cum popularibus recipere. Accepit conditionem Princeps Vgrus, statim aqua hysterica tingitur, Stephanus appellatur, & a Cæsare Rex nuncupatur (g).

men,

(d) HERMANNVS CONTRACTVS in Chronico ad a. 905. & 1038. Eadem, ac paulo minus, refert MARIANVS SCOTVS, in Chronico suo, ad a. 1038.

(e) SIGEBERIVS GEMBLACEN. in Chronico ad a. 1010.

(f) ALB. KRANTZIVS in Ecclesiast. hist. lice Metropoli lib. IV. cap. 3.

(g) Nuncupatur, id est vocatur. Eodem modo AVENTINVS locutus est lib. VII. cap. XIV. scff. 2. Is, Venceslaus Rex Bohemiæ, inquit, filium Venceslaum Regem declarat, Vgri Ladislauum nuncupant. Quod cum haud peripiceret, qui sectionum summas singulis liberorum capitibus præfixit, verbumque nuncupant, pro eo sume ret quod creant, ridicule scripsit. Andreas Rex Vng. moritur. Carolus, Venceslaus & Ladislauus de successione certant. Nam tres simul Reges, Carolus, Venceslaus & Ladislavus, de regno certantes, Hungaria nunquam vidit. Sed quem Bohemi Ven-

ceslaum

men, Stephano, tanquam obsecro fidei vinculum, ruptum datur; cuius
ope & consilio Vgori philosophiam Christianam sectari cœperunt (h).

§. 4. Quibus testimonis si per omnia stare possemus, de gen-
nuinis religionis Christianæ inter Hungaros initis, haud magni-
pere laborandum nobis foret. At enim populi Hungarici non Sententiae
postremam partem, quæ mite jugum Christi pertinacius adspexerunt, hujus origo
nabatur, & capita refractariorum, si qua restabant, post illas au-
ptias, lenibus juxta ac severioribus mediis, pro more illius ætatis,
mitigatos, atque adeo totam gentem colla subdere coactam esse,
nullus iverim inficias. Testatur id, præter AVENTINVM, (i) jo-
HANNES quoque THVROZZVS, in Chronicis suis. (k) Eumque in
finem missos a Stephano legatos existimo, ad sedus cum Henri-
co paciscedendum, cui Giselæ nuptiis Imperator robur conciliare
voluit firmissimum. Non potuit tam memorabile facinus or-
bem Germanicum diutius latere, unde, postquam publica fama
ad aures hominum delatum esset, enata est opinio, Hungaros
nunc demum, una cum Rege, Christianam religionem admississe.
Tanto magis opinio hæc vulgi animos, ac chronographorum, in
ergastulis suis bene latentium, annales occupavit, quod, quæ do-
mi apud Hungaros hactenus acta fuerunt, non omnibus æque in-
notescere potuerint. Totam namque ex integro gentem tum pri- Eadem
mum Christianis sacris initiatam, ipsumque in primis Stephanum repudiatur.
nunc admodum, cum sponsam ambiret, sacro fonte ablutum, in-
quæ religione Christiana institutum fuisse, scriptoribus, id adfir-
mantibus, probare inequivisset. KRANTZIVM certe & AVENTI-
NV M hæc simplici oratione perséqui, haud decuit; pròpterea,
quod diu ante ipsos, contrarium prodidit THVROZZVS, cuiusve
Chronicon opus, ex priscis Hungarorum annalibus coagmentatum,
tipis tunc divulgatum exstabat. Illis igitur nude, quidquid col-

A 3 libuit

ceslaun vocabant, Hungari, familiariori nomine, Ladislaum dice-
re maluerunt.

(h) AVENTINVS Annalium Bojorum lib. V. cap. V. sect. 8.

(i) IDEM ibidem sectione 9. Editio, quam sequitur, Lipsiensis no-
vissima est.

(k) THVROZZVS in Chronicis Hungarorum, parte II. cap. 9. seqq.

libuit, adserentibus, quidni nobis integrum fuerit uno identidem verbo, quod minus ad palatum est, repudiare? Fortius tamen, in causa tam luculenta tamque certis argumentis innixa, rem nostram agemus, per capita ostensuri, non Stephanum per illas deum nuptias mysteriis Christianis fuisse initiatum: sed neque gentem Hungaricam Giselæ ope & consilio philosophiam Christianam sectari coepisse: denique Geysam jam, Stephani patrem, Christianam religionem professum fuisse.

Aventinus
sigillatim
notatur.

Stephanus
ante initas
cum Gisela
nuptias
Christianus.

§. 5. Id prius sicco pede non transeundum, scriptores allegatos, quo longius ab HERMANNI CONTRACTI ætate recedunt, hoc profusiores verborum, inque expolienda narratione, operosiores esse. Verba illa AVENTINI sigillatim, *Gisala, fatale fortita nomen, Stephano, tanquam obses & fidei vinculum, nuptum datur, si cum ipsis conferantur HERMANNI, quasi vere juxta nomen suum fidei obses in conjugium data, non erit obscurum, HERMANNI parhippo vectum AVENTINVM, sed quem, partim SIGEBERTI aulæis, suis partim phaleris, ita ad pompam operauit, ut, cuius sit domini, vix ac ne vix quidem agnoscatur.* Sensit hoc, pro sua perspicientia amplissimoque rerum usu, Perill. Dn. de LVDEWIG, veneranda canitie, dignitatibus, honoribus summisque in rem tam publicam quam literariam meritis, Vir immortalis, dum, verba AVENTINI adducturus, *Describemus sententiam ejus, inquit, a nullo, quantum scimus, scriptore alio proditam* (1) Adlurgimus gravissimo testimonia, sententiamque AVENTINI, demitis HERMANNI & GEMBLACENSIS appendicibus, tales in reliquo esse censemus, que a nullo scriptore alio prodita fit. Si enim prodita esset, qui aciem τε πάντα fallere potuisset? & qui potuit a quoquam altero prodi, cum folium auctorem habeat AVENTINUM? Sed hæc haec tenus.

§. 6. Stephanum jam, diu ante contractum cum Gisela matrimonium, Christianis sacris fuisse imbutum, evincamus. Eum a S. Adalberto, Episcopo post illa Pragensi, aqua lustrali tintum, præter

(1) de LVDEWIG in, *De auspicio Regum, juris gentium, dissertat. pag. 90. sq. Recusa cum alias, tum in Viri summi Mæcellorum T. I. lib. I. opusc. .I*

præter scriptores Hungaricos, Poloni, Bohemi aliique magno consensu perhibent; quorum constans ab omni ævo testimonium uno halitu dissflare, iniquissimum foret. At S. Adalbertus a. 997. martyrio in Prussia obiit; Stephanus igitur post hunc annum baptizari haud potuit. Sed nuptias ejus ad a. 1010. SIGEBERTVS ponit; cuius quidem calculus vitio non caret, fateor. Nam Stephanus, a. 969. natus, virilem ætatem justo diutius excessisset, cum animum ad rem uxoriæ appelleret. Propius ad rem accedit AVENTINVS, nuptiarum annum scribens 1005. Id longe est certissimum, ante a. 1002. matrimonium Principum non coaluisse. Idem enim omnes perhibent, fratrem Gisela Henricum ea tempestate imperii habendas tenuisse: eas vero a. 1002. adeptus est. Quam ob rem, si post a. 997. Stephanus baptizari non potuit, multo minus post a. 1002. baptizatum, efficitur. Ad summam accedit, quod, seculo XI. inuenit, Stephanus Episcopos in Hungaria constituerat, quod certe non fecit, nisi Christianus. Testimonia sit diploma ipsius, Archiabbatæ S. Martini, in S. monte Panaonie, a. 1002. clargitum (m), & cuius eiusdem infra adstrueamus; in quo monasterii illius Abbatem a jurisdictione non diccesani tantum Episcopi, sed & quorumvis aliorum, eximit, Strigonensis quoque AEpiscopi Dominici jam meminit. Legefis diplomatis literas, & plura Christianæ pietatis indicia, imo Regem Christiano cultui longe addicitionis, reperties. Pergo rogare, quin imo flagitare validius, quo tandem nomine, vel fando, innotuit Rex noster, usque ad eam ætatem, qua, conjugio maturus, Stephanus in baptismate dici cœpit. Cautæ AVENTINVS Rectorem tantummodo gentis vocat, SIGEBERTVS Regem; quo titulo omnes, ante Stephanum, Hungarorum Principes, AVENTINVS quoque insigniverat. Hic tamen loci caute, inquam, Rectorem vocat; si quidem caute is scribere censendus, qui, quod maxime proditum explicatumque oportuit, silentio involvit. Fidens animi hia-

tum

(m) Exsistat ad calcem Bonifacii, ex editione Sambuci; unde illud in Annales suos transfluit Inchofer, ad a. 1002. pag. 269. De quo plura differimus infra, Cap. IV. §. 58.

tum supplevit WOLFG. LAZIVS, Geizam juniorem appellans. Der Kaiser gab Gaysa ihrem König dem Jüngern sein Schwestern Gisalam, und gab ihr zu Ascarichum, der auch Anatolius genannt wird :: die befehrt den König, sicut der ganzen Nation Hungern zum Glauben, und ward Gaysa in der Tauf Stephan genant. (n). Verum ex suo ingenio supplementum promisit, sero nimis docere adgressus, quod sexcentorum annorum scriptores alicujus nominis, ignorabant. Mitto LAZIVM cum AVENTIN NO committere, quod nunc non agimus.

Gens quoque Hungarie, diu ante illas nuptias Regum, converticepit.

§. 7. Fallitur AVENTINVS fallitque, quotquot cum eo faciunt, tradens, Giselæ ope & consilio Hungaros philosophiam Christianam sectari cœpisse. Multo enim ante illas Regum nuptias, Gaysa adhuc, Stephani patris, temporibus, magnus Christianorum Hungarorum numerus fuit, magnusque in dies ad baptismum, in ipsis regni finibus, populi concursus. Cujus rei testimonium, omni exceptione maius, edunt literæ, a PILGRINO, Laureacensi Episcopo, ad Benedictum VII. P. R. scriptæ. Refert in illis Episcopus, priorem se, a gente Hungarica, multis precibus, invitatum: emissos a se sacerdotes statim quinque millia, utriusque sexus, eosque ex nobilioribus Hungarisi, Christo lucratos esse: a captivis Christianis liberos, nullo obstante amplius timore, baptizandos offerri, cum nunquam, nisi furtive, id antea facere potuerint: gratulari illos, tanquam ex peregrinatione in patriam reductos, quod, Christiano more, oratoria sibi liceat exstruere, & linguas, olim ligatas, in laudes salvatoris, solvere: barbarorum quosdam gentilitate adhuc detineri: sacerdotibus integrum esse, quounque liber, profici: paganos cum Christianis concordes vivere: denique totam Hungarorum nationem pronam esse, ad percipiendam fidem sanctam. Scripta est hæc a Pilgrino epistola, calculum accuratius subducente SAMVELE TIMON (o), anno plus minus 975. Eam cum

(n) VVOLFG. LAZIVS in der Chorographischen Beschreibung des Königreichs Hungern et. apud Schödelium in Disquisit. historico-politica de regno Hungariae pag. 175. ex edit. Behimb.

(o) TIMON in Imag. Hung. ant. Lib. III. cap. VII. pag. 393. §1.

relig. Chr. inter Hung. in primis propagant. 9

cum ipse in lucem proferret LAZIVS (p), neque ignoraret AVENTINVS, vide, quantum in animis ipsorum Giselæ atque Henrici Imp. gratia potuerit, ut ad merum diem alucinantes, scriberent, Regem, cum tota gente, illis auctoribus doctrinam Christianam sectari coepisse. Adde, quæ Benedictus P. R. ipso iterum LAZIO auctore, ad præsules Germaniæ, Pilgrini causa, rescripsit, dum, inter cetera, Verum etiam ipsi, inquit, dudum inimici ipsum, quem persecuti sunt, more gentili, jam jam Christum baptizati profiteruntur, ac sacerdotes modo habere desiderant, ac, prout seire rudes poterunt, venerantur. Et ecclæsias quasdam, in sua terra, quas patres incendio delerunt, posteri restaurare videntur. Et paulo post, Vifum est, inquit, ut, ad fructificandas deo gentes, ex novitiis cultoribus fidei, Hungarorum atque Moravorum, sive etiam aliis multis, Slavorum --- eis hunc constitueremus AEppum (q).

§. 8. Atque ex eadem Pilgrini epistola argumentum capimus, ad Geysam, patrem Stephani, in Christianorum numerum referendum. Nam quis sine bona magistratum venia, Principisque ipsius voluntate, nutu, auspiciis, ea omnia acta sibi perfaudeat, quæ Pilgrinus apud Pontificem tanto prædicabat opere? Vnde autem tam effusa Principis Geysæ, qui regno tunc prærat, anno demum 997. denatus, in novitiam religionem indulgentia? major certe, quam rationibus reip. sui congruere pagana suspicari poterat superstitione. Vnde AVENTINVS ipse committere non potuit, quin præclarissimo Geysam exornaret elogio, quod, austerus in suos ac durus, Christianis amicissimum sese exhibuerit (r). Imo Pilgrinianæ epistolæ argumentum referens AVENTI-

B

NVS,

(p) WOLF. LAZIVS Comment. de rep. Romana lib. XII. p. 1088. Légitur & in HARDVIN Concilis Tomo VI. parte I. item apud TIMONEM in Imag. Hung. ant. Lib. III. cap. VII. INCHOFERVM in Annalibus, ad a. 980. pag. 209. sq.

(q) LAZIVS, HARDVINVS, TIMON¹, INCHOFER locis citatis. AVENTINVS quoque Pontificia epistolæ initium adscripsit in Annal. lib. V. cap. II. scilicet 11.

(r) AVENT. I. c. lib. V. cap. I. scilicet 28.

nus, tam prolixo in laudes Geysæ excurrit, ut falsa veris misceat. *Divus tum Pilgrimus, inquit, Bathavensis, Laureacensi templo presidebat.* Ad hunc Geizo, Rex Vgororum, motus sanctitate viri, licet Christianus nondum esset, legatos mittit, atque, ut Vgororum regionem adeat, ibi philosophiam Christianam interpretetur, orat. Se cuius cultum Christi recipiendi potestatem facere, pollicetur. Pilgrimus igitur, adjuncto secum Wolfgango, ad Vgros profectus, quinque M. eorum sacro fonte lustravit. Captivi Christiani cet. (s). Hujus namque favoris quas causas adferemus, si Principem ex Christianorum consortio excluferimus? Ac licet nondum Christianum, AVENTINVS adfirmet, altero autem loco, alienum a religione Christi scribat, non alio tamen lacinia istæ scriptoris Boji spectabant, quam ut narrationi, quam de Stephano texuit, sua contaret integritas.

§. 9. Nihil vero est, quod suspensos nos teneat, quo minus in Annalium Hungarieorum sententiam, cum quibus amice conspirant Poloni, Bobemi, Dalmatae, alii, descendamus, ac Geyam Principibus adscribamus Christianorum. Non abudit hoc a Principe, lenitatis modestiæque laude maxime omnium incluti, vela religionis, quam amplexus traditur, moribus. Nam cum majores sui eas regnandi artes sequerentur, ut tum demum rempublicam se recte administrasse crederent, si in armis assidui, suos insingulas gentes vicinas infestis signis ducerent, spoliisque reducerent onustos, Geysa hæc contra, pacis consilia unice collens, nemini gravis unquam fuit, sed neque suos injuriam alii inferre passus est. Efferatorum voces, qui animos gentis hoc tanto otio languescere, & muliebriter emolliri, criminabantur, partim contempsit, partim retudit. Ea nempe religiosis Christianæ, si non cerebrum tantum occupet, sed etiam ad praecordia demittatur, vis est, & propria hæc quasioccupatio, ut hominum animos, felici mutatione, ad imaginem ejus conformet, qui,

(s) AVENT. loc. cit. cap. II. sect. 10. Postrema narrationis satis produnt, cum epistole Pilgriniane argumentum exhibere. Additamenta vero scriptoris suo infra loco examinabimus, Capitis hujus §. 17.

ut ipse erat lenissimus & modestissimus, ita omnes etiam
sui esse voluit similes. Ad has amabiles & Principe Chri-
stiano dignissimas virtutes, quibus Geysa illuxit, si inusita-
tum illum in Christianos favorem, & lata conversorum ad Chri-
stum incrementa, quæ Pilgrini auctoritate recensuimus, compo-
namus, non video cur scriptorum catervæ, *Hungarîs, Polonîs,*
Bohemîs, Dalmatîs fidem perfracte derogemus. Denique, quid
verbis opus est, cum rei testimonium nobis adfis evidentissimum?

Stephanus Rex, in laudato diplome Archiabbatæ S. Martini, ge- Abbatæ
nitorem suum Geysam, monasterii hujus conditorem primum di- S. Martini,
serte celebrat. Hæc enim in eo Rex, *Quod nos, inquit, interven- in S. monte*
tu, consilio & consensu Domini Anastasi, Abbaris, monasterio S. Mar-
tini, in monte supra Pannoniam sita, a genitore nostro incepimus, quod Pannoniæ,
nos - - - ad finem perducimus, cet. An igitur sacris fundationi- conditor.
bus districtus Geysa, ne sic quidem dignus censembitur, quem Chri-
stianis consociemus? Atque hæc, ut domesticorum scriptorum fi-
des vindicaretur, dicta hactenus sunt. Soleo nimirum lubenter,
et quissimumque judico, testimonia domestica suis communire ra-
tionibus, cum testes vel ab aliis dissentiant, vel istis aliquid pro-
dunt facientibus, vera tamen dixisse cognoscuntur.

§. 10. Sed dum iidem nostri Geysæ curas paulo magis anxie Scriptores
recensent, in quas, ut agnita veritatis fructus ad universum re- domestici,
gni populum redundaret, incubuit, non possumus eis adstipulari. Geysæ, in re-
Euangelii lumine posteaquam collustratus esset, quin omni cona- ligionem
tu lampadem suis præferre, eosque in partem melioris fortis ad- Christianam
ducere, laboraverit, dubio caret. Loquuntur id res sub imperio studia per
ejus gestæ, quas teste Pilgrino adtingimus: exhibet pietatis ipsius fabulas ex-
argumentum diploma Archiabbatæ S. Mart. commemoratum: plicantem, rejiciuntur.
nec videtur filius Stephanus tantis suffecturus fuisse operibus, quæ
tam angusto temporis spatio absolvit; nisi pater, præcipuis impe-
dimentis sublatis, solida & ampla fundamenta prior jecisset. Hæc
si narratione plana expoſuissent nostri, omnium facile adſensum
imperarent. Illustriora autem singula reddituri, fabulas protule-
runt, pugnantibus & male inter se cohærentibus factis exornatas.

Quæ cum ipsæ se refellant, suis eas seculis lubenter relinquemus.
Sed, cuni magnos, nostro etiam ævo, patronos invenerint, eas,
pro instituti ratione, expendemus.

Bonfinius
id propter
castigatur.

§. II. BONFINIVS igitur ista refert: *Dum Geyse animus, præ
divino timore & populi salute, fluctuat, ecce divina clementia
per cœlestem ex alto interpretem in somniis eum consolatur* - - ne-
que eum tali cura vexari oportere, ut facella dicet, *sacro sanctos intro-
ducat antisites, scytbicamque gentem a profana religione vindicet,*
quando sanguine pollutas manus habet. - - - *Sanctissimum ex eo fili-
um proditum, pollicetur, qui ad hæc - - - a divina benignitate est
prædestinatus, cet.* (t). SAMVEL TIMON, Soc. Jesu, vir defecati
ingenii, deque patria sua, tot præstantissimis monumentis, recon-
ditiore rerum Hungaricarum Scientia refertis, egregie meritus, hæc
ex BONFINIO recitans, a censura acriori temperare sibi haud po-
tuit. *Hæc, inquit, historicus ille, bis a veritate deflectens. Ridicule
enim, si non impie, comminiscitur, cœlestem genium Geysam dehortatum
esse, ne ediculas edificaret, neve operarios apostolicos acciret. Deinde,
ne ingeniose quidem fingit, Geysam, Principem studiosissimum pacis.*
*& servantissimum æqui, patratorem cedum, & quacunque denun-
ratione, sanguinarium fuisse* (u). Recte vero ista, non tantum mi-
nus ingeniōse, sed ineptissime etiam ficta, stomachum moveant
TIMONI, humanissimi alioquin moris scriptori. Prater illud au-
tem, quod de Geysa, pacis & quietis studiosissimo, obseravit, id
amplius notamus, filium potius Stephanum, vel ipsis illis factoribus
non dissimulantibus, bellis gravibus, per totam propemodum xta-
tem, fuisse implicitum, quæ certe sine sanguinis humani effusione
non gessit. En Regem ipsum, labores suos bellicos, in *Institutione*
regia, ad filium Emericum, querenter. Obedi, inquit, fili, mibi.
Pueres, deitiarum vernula, pulvinaris accola, fatus educatusque in
*deliciis cunctis, totius expeditionum laboris atque diversarum gen-
tium incursionis, expers, in quibus ego jam fere totam meam contri-
vi etatem* (x).

§. 12.

(t) BONFINIVS Hungarianorum rerum decade II. lib. I. in principio.

(u) TIMON in *Imag. Hung. ant.* lib. III. cap. VIII. pag. 399.

(x) In *prefat.* ejus *Institutionis*, quam vide in *Corpore juris Hungarici*,
itemque ad calcem Bonfinii, ex editione Sambuci.

ſ. 12. Non recte vero TIMON uni indignatus est BONFINIO. Item Efficacius ſtilum convertiſſet in MELCHIOREM INCHOFER, virum religiosum, imo societatis Jesu contribulem, qui eadem hæc cœleſtem ad Geyſam genium retuliffe narrat. Imo, ut nulla ad centonis, quèm ſiebat, varietatem pictura deeffet, alteram præterea b. virginis apparitionem, quam RANZANVS ejus, quam refellimus, loco enarrat (y), in p̄cedentibus ſtudioſe inculcavit (z). Quodve mireris magis, pro eo, ut censuram quandam adderet, inſicte rhetoriciatur? Sed binc liceat, inquit, non parum admirari, quo confilio divina sapientia, quemadmodum a Davide cet. (a); quæ referre piget. Quin imo liceat hiac nihil admirari quidquam, ſed certo iudicio statuere, hæc tam inſulfè commenta, quæ tam BONFINIVS, quam INCHOFER, BARONIVS, aliique plures, ex Legenda S. Stephani depromiferunt, non cœleſtis alicuius oraculi decriptionem; quo anxius Geyſa animus revera erectus fit, ſed futilis cujuſdam fraſerculi, in cellula ſua ſuperſtitioſe negotioſi, abortum eſſe. Quod enim divinarum literarum exemplum imitari voluit, ſtudia illud hominis, quod tam infelici Minerva expreſſit, ingenii ejus ineptiam id abunde iefatur. Quod viſum, non a BONFINIO Chartuitius demum, nove his verbis elucubratum, ſed, ut diximus, ex Legenda S. Stephani eſſe deſumtuſ (b), ſi perſpicacifimi TIMONIS aciem non eſtrugifſet, non tam facile animum induxiſſet, opinor, ut CHARTUITIVM, Legenda auctoreni, historicum vocare luculentum (c), dicendum verius lutulentum. Atat! hauerat ex CHARTUITI turbidis lacunis Card. CAESAR BARONIVS, in Annalium fuorum Baronius. volumiſo opere, totam conversionis Hungarorum historiam, fabulis quoque, quas TIMON rideſile atque impie fictas proferbit, ad verbum inſertis, & tanquam pretioſis vulgi cultus tabulis in

B 3

fan-

(y) RANZANVS in Epitome rerum Ungaricarum, Indice VIII.

(z) INCHOFER in Annal. eccl. regni Hung. ad a. 979. pag. 208.

(a) IDEM ibid. ad a. 985. pag. 224.

(b) CHARTUITIVS in Legenda S. Stephani pag. 269. in Rerum Hungaricarum ſcriptoribus variis, qui prodierunt Francoſ. a. 1600. itemque apud Surium in Vitis Sanctorum.

(c) TIMON in Imag. Hung. ant. lib. III. cap. VIII. pag. 396.

sanctuario Romano suspensis. Quid, quod non minore auctorem Legendarium elogio BARONIVS ornarit, Aliunde, inquit, petamus, nempe a Cartuitio Episcopo, ad Colomannum Regem, qui cunabula Hungaricæ ecclesiæ stilo fidelissimo prosecutus, cet (d). Quare, meliora videns ac probans, TIMON dubia, quæ sensit, BONFINIO potius, cui MATTH. RADERVS, Soc. Jesu, profani & pagani scriptoris notam pridem inussit (e), quam germanis fabularum institoribus, opponere voluit.

Aliud Char-
tuitii com-
mentum.

§. 13. Eiusdem notæ est aliud portentum, dum Stephanus Levita, & primus Jesu Christi martyr, internuncii munere defunctus, habitu Levitico, Sarolæ, uxori Geyſæ, in somniis oblatus dicitur, nativitatem filii Stephanii annuntiaturus. Quis scriptor probus docuit protomartyrem Stephanum fuisse Levitam? Demus autem Legendarium nostrum manus, quod gessit, significare voluisse duntaxat, habitu Levitico cur illum appartuisse scribit, nisi quod in cucullo singulare quoddam sanctitatis decus inesse existimavit? Nam protomartyrem Stephanum, primosque euangelii Christi praecones quoscumque, certo vestimentorum genere, a reliquo populo fuisse distinctos, non constat. Illis, qui pro habitu & insignibus sacerdotalibus operose depugnarunt, Illustris vir, IOH. GOTTL HEINECCIVS, cujus, de antiquitatibus cimeliorum differentias ac judicantis, haud quemquam penitent, digne respondit (f).

Ad Timonis
defensiones
respondetur

§. 14. At videamus, qua ratione Doctissimus TIMON visa illa generatim iterum defendere est adgressus, licet ridicule atque impie commenta prioris profligaverit. Visa, inquit, dormientibus aliquando a deo mitti, divinæ docent literæ. Et Eusebius, in Vita Constantini, lib. I. cap. 29. testificatur, secundum quietem Constantino M. Christi imaginem oblatam esse (g). Sed in divinis quis ferat visa ejusmodi, in quibus sunt pugnantia, ut in viso Geyſæ, & va-

(d) BARONIVS Annalium ecclesiasticor. tomo X. ad a. 889. n. 5. seqq. item ad a. 1000. n. 13. seqq.

(e) RADERVS Bavaria sanctæ, Volum. II. p. 191.

(f) HEINECCIVS in Commentatione, de habitu & insignibus sacerdotalibus. Legitur jam in Sylloge opusculorum, leorsum prius editorum.

(g) TIMON in Imag. Hung. ant. lib. III. cap. VIII. pag. 305. seqq.

nissime facta, ut in Saroltae. Visa adhac, spiritus divini testimonio destituta, difficillimum est demonstrare, utrum a deo, an ex caufis quibuscumque aliis, originem ducant. Firmius non immrito testimonium desideramus, quam CHARTVITIVS est ferendo, e-gens et ipse testimoniorum. BONIFACIVM hinc VIII. Pont. Rom. in subsidium allegat TIMON, qui suis in literis, Fuerat quidem, inquit, divinitus revelatum, quod ei primum in gente Vngarica corona debebatur & regnum: sicut hec plenius documenta, quae servantur in archivis memoratae ecclesie Romanae, restantur. Mitto autem aliud regerere, quam quod & recentius testimonium illud fit, & in causa propria editum, parum valitum apud eos, qui errare non minus Pontificium, quam humanum esse, firmissime persuasum habent. Scrupulum & hoc mihi movet non levem, provocare BONIFACIVM ad documenta, quae in archivis ecclesiae Romanae conservantur. Nam licet aliud atque aliud ex Vaticano monumentum, ad jus, quod in Hungariam Pontifices sibi olim arrogarunt, stabiliendum, erutum haec tenus sit, in nullo tamen divinae alicuius revelationis testimonium invenitur. BARONIVS ipse, in Annalibus, nullum ejus generis documentum, vel scriptoris monumentum, ex archivo Romano, poterat proferre. Vnius CHARTVITII testimonio usus est, quem ipsum, non in tabulario praedictae ecclesiae reperit, sed a SVRIO, mutato, ut idem fatetur, stilo editum, mutuavit. Testimonium validius, quo visa illa comprobentur, se adulaturum existimat TIMON, scribere pergens, Est in eam, inquit, rem testimonianu quoque domesticum, & quod ad veritatem ostendendam firmius est, regium, pontificioque illo antiquius, referente eodem scriptore, Odorico Raynoldo, in rebus anni 1233. ubi Andreas II. Rex Vng. ad Jacobum, Episcopum Prenestinum, scribens, haec memorat: sed etiam parentibus ejus fuerat divinitus revelatum, quod ei in genite nostra corona debeatur & regnum. Verum enim vero scripta haec sunt ea & tate, qua spuria fama hominum animis penitus jam sese insinuaverat. Locutus igitur Rex Andreas est ad hominem, quod dicitur. Cum iis enim cum res sibi esset, qui ejus generis portenta sancte arripiebant, suis ipsis glandibus lecure pascere poterat.

erat. Denique, sive ex sua, sive ex animi aliorum sententia locutus fuerit Andreas, possunt Reges jura dare, ut, quod justum, quodve injustum, in civitate esse jubent, cives id ipsum ratum habeant: iidem, ut, quod firma ratione caret, verum arque indubium a civibus apprehendatur, efficere non possunt. Apposite AENEAS SILVIVS, post Papa Pius II. cum, quæ portenta, Premislao I. ad regnum Bohemiæ a fliva evecto, acciderint, enarrasset, eademque in diplomate Caroli IV. Imp. Bohemiæque Regis confirmata se vidisse dixisset, apposite, inquam, subjicit, sed nec mibi Carolus fidem facit. Nam Reges plerunque creduli sunt, nec quidquam non verum putant, quod generis sui claritatem adstruit (h).

Quomodo
Geysa ad
religionem
Christianam
perductus?

Conjectura
scriptorum.

§. 15. Nullis autem, quemadmodum ostendimus, portentis opus est, ad Geysam & cœtui Christianorum, & primis inter Hungaros religionis Christianæ propagatoribus, adserendum. Ardua magis exsurgit quæstio, qua occasione, quibus incitamentis, quibusve hortatoribus, patrium cultus adspersatus, Christianis se ad sociavit. Mancus hoc loco historicus ille luculentus, qui cunabula Vngaricæ ecclesiæ stilo fidelissimo fertur prosecutus, CHARTITIVS est: forte quod istud ad res Stephani pertinere non pataret. Pertinuisse vero ad religionis apud Hungaros Christianæ incunabula, qua in *Legende* limine parturiebat. Plerique igitur ingentes Hungarorum clades, Ottonianam præcipue, in præsidium adsciscunt, hisque Hungaros impulso statuunt, ut consilia agitant saniora; quæ vicini ipsorum Carni, Norici, Bavari & tota captivorum apud Hungaros multitudo, piis suggestionibus aluerint, donec in integrum resipiscerent. Verum clades illæ quamvis graves admodum genti Hungaricæ acciderint, per eas tamen domi quiescere, vires colligere, exercitusque instaurare potuerunt. Veteris hinc calamitatis memoria, quæ, quoties occurserat, acerbum quoque vulnus, infame videlicet Ducum suorum supplicium, quos, bello captos, victores laqueo enecarunt, refreocabat, non magis eos Christianis conciliare, quam vindictæ flammis incendere, debebat. Captivorum autem quis nescit fortē

(h) AEN. SILVIUS *Historia Bohemica cap. VI.*

esse abjectissimam, servosque consultores a dominis adunco ple-
rumque naso suspendi? Aliud itaque acceſſerit oportet, unde fa-
ctum sit, ut Hungari Christianos, sive ille vicini, sive captivi apud
se fuerint, amore potius complecterentur, quam ulciſci vellent,
eorumque conſilia faciles admitterent, non repudiarent exacerbat.

§. 16. BONFINIUS ad rudera religionis Christianæ, apud Avar-
es, Hungarorum cognatos, ex illustribus Caroli M. monumentis, *Bonfinii*
ad hæc recurrat, ut genuinas rei gestæ causas exprimat (i). At Ava-
res, maximam partem sub fidei Christianæ jugum vi & armis missi,
statim a morte Caroli, Francorum imperii impatientes, multoque
magis dissidentibus, primum a filio Ludovico, deinde mutuo in-
ter se, nepotibus, partesque orientales negligentibus, celeriter ite-
rum a disciplina Caroli desciverunt. Non dissimulat id ipsum
BONFINIUS, fed, *Carolo vita excedente - - - preguſtatan religionem*
exoleviſſe, & ſi qua ejus veſtigia remanferint, in tanta feritate, abo-
lita eſſe cet. ingenue conqueritur. Adde, quod Avares non mul-
to post, quam Francorum imperium excuſſere, a Slavis Marahensi-
bus denuo ſubjugati, & ad incitas plane redacti ſint. An igitur
tenues Christianorum, ſi quia ſuperabant, reliquæ Avaricæ numero-
sum Hungarorum populum in suas partes pertrahere, doctrina-
que pura iniubere potuerint, & non potius incondita multitudo
paucitatem vicit, ſuaque infecit ſuperftitione, in dubio pariter eſt
poſitum. Nihilo tamen minus INCHOFER, quanquam nec ipſe de-*Inchofer.*
fectionem publicam inficiari audet, tanti conversionem illam gentis
Avaricæ fecit, ut, inde annales ſuos exorsus, cum ad Hungaro-
rum periodum accedit, oculos ad eam ſemper intenderet, varia
conjectando & commentando.

§. 17. Omnibus his conjecturis quam parum ponderis inſit,
agnoscit, pro ſuo acumine, TIMON. Pios ejus, inquit, Geysæ puta,
conatus conjectando perſcripſere Inchofer, Bonfinius, Ranzanus, non
nihil titubantes (k). Sed BONFINIUS & RANZANVS quoquo modo *Inchofer*
cautios, in conjectando, ſe gafferunt, ſolus INCHOFER, liberrime ex-*multa pro*
C tra animi libi-
dine fingens.

(i) BONFINIUS *Hungaricar. rerum decade I. lib. X. propter finem.*

(k) TIMON in *Imag. Hung. ant. lib. III. cap. VII. pag. 374.*

tra oleas vagatus, nullum modum tenuit. Dixerat AVENTINVS, Geizonem, Regem Vgororum, legatos mississe ad Pilgrimum, orasse que, ut Vgororum regionem adeat cet. (l). Cupide ea nimis arripuit INCHOFER, Aventino alioquin haud amicus, amplificavitque ambitionis. Scriptis, inquit, Geyfa ante omnia ad Pilgrimum, Laur. Episc. missa honorifica legatione - - - Addebat, in animo sibi esse, publice Christum confiteri, cet. (m). Crederes autographum Principis annalista transcribere. Rationes, quæ Geyfam ad scribendum, a recessumque Pilgrimum, impulerunt, penitus quoque scire vult, Mvxit, inquit, Geyfam ad accersendum Pilgrimum, primo sanctitas viri, jam pessim miraculis clara, deinde, quod a quibusdam didicerat, Pilgrimum, antiquo de suis majoribus bene merito, hanc illi gratiam libenter redditurum cet. At vero oblitus istorum est INCHOFER, cum ad a. 985. visum Geyfæ, in quo sanctitatem ac salutem Hungarorum divina sapientia ab ipso perfici noluit, recenseret (n). Deinde, poterat, si voluisset, INCHOFER facile animadvertere, adsumtas ad Pilgrini narrationem aliquas ab AVENTINO plagulas, dum legatos ab ipso Geyfa missos, & Pilgrimum in Hungariam profectum, tradit. Nam Pilgrinus, invitatum quidem se a gente Hungarica, sed non a Principe Geyfa, scribit: misitque ex monachis canonicisque presbyteros, non ipse accessit. Neque enim si ab ipso Geyfa fuisset accitus, cum cetera tam diligenter apud Pontificem predicaret, memorabile in primis facinus referre omisisset. Nec video, quæ ipsum modestia cohibuisset, quo minus officia sua, si qua praesens genti conversæ præstítit, sincera oratione commemoraret. Lepidissimum illud INCHOFERI est, quod alio loco hariolatur, non esse dubium scriptas etiam ad Geyfam, Ducem Hung. a Benedicō P.R. literas fuisse, in quibus excellentis animi propositum collaudarit, & ultro ad orthodoxam religionem salutaribus monitis eum invitaverit. Quod sane, inquit, ad munus primi pastoris spectabat, & hujus præfertim Pontificis sanctitati par fuit (o). Multa ad mul-

(l) AVENTINI locum supra adulimus, ad §. 8.

(m) INCHOFER in Annalibus ad a. 979. pag. 208.

(n) IDEM ibidem pag. 225.

(o) IDEM ibidem ad a. 980. pag. 215.

multorum munus spectant, quæ non ideo ab ipsis continuo fiunt. Elucebit autem ex tota, ut opinor, Hungarorum ad Christum conversione, Romanis Pontificibus id curæ circa eam fuisse potissimum, ut iatram messem, cuius semine in fecerunt alii, *laici & sacerdotes Greci*, procedente tempore in sua horrea congererent.

§. 18. Cum igitur recensitæ recentiorum scriptorum conjectura, quounque demum loco habeantur, illud tamen non doceant, qua ratione Geysa ad veritatis agnitionem pervenit, unde nos religio item gens Hungarica prima fidei rudimenta accepit, restat, ut ad nisi Christum caput suscepimus a nobis opera accedamus. Ad Pilgrimum quod pud Hung. attinet, nunquam exmisi ab eo sacerdotes tam uberem fructum natales eru- consequi potuissent, nisi jam & Princeps Geysa Christianorum al- endos. bo insertus, & gens Hungarica, ad amplectendam euangelii doctrinam, rite fuisse preparata. Teste si quidem Pilgrino non pastor oves, sed oves ipsæ pastorem accesserunt quasitum. Eam igitur questionem firmis partim testimoniis, verosimilius partim ratio- nibus, discutiemus. Nam omnino integrum, omnibusque numeris absolutam, rei gestæ descriptionem ætas nobis, an studium partium invidit, aut negligentia quorundam scriptorum passa est intercidere.

CAPVT III.

GYULA DUX

*religionis Christianæ inter Hungaros prima
semina jicit.*

§. 19.

Explicaturis hoc capite, unde Geysæ gentique Hungarice doctrinæ Christianæ lux adfulsit, pulcherrimus aperitur campus in res ecclesiæ Hungaricæ antiquas latius excurrendi, sed & civilia non nulla adtingendi. Publicati primum argumenti gloriam præripuit quidem nobis SAMVEL TIMON, idem conscientiam detecti nostra industria monumenti non sustulit.

C 2

Neque

Fontes, qui-
bus usi su-
mus.

Neque enim libros TIMONIS legimus aut vidimus, cum scriptores Byzantinos, ex quibus rem huius, ordine evolvere, & quidquid de Hunnis, Avaribus atque Hungaris, gentibusque amicitia vel vicinitatis vinculo ipsis conjunctis, literis mandarunt, excerpere ad gressi essemus. Triennio post, quam schediasma, quod in hac materia meditabamur, e manibus nobis fuisse elisum, literas ad Virum quendam Celeberr. dedimus, eidemque instituti nostri rationem detexerimus; quo anno TIMONIS *Imago* lucem nondum adspexit. Si quis porro, TIMONEM legens, estimaverit, eum, quæ ex historia ecclesiastica OTROCOTSCHEI MSC. adulterum, ad usum convertere noluisse, forte ne Latinorum, in convertendis Hungaris, labore alienis meritis, cum invidia suorum, elevaret, argumentum illud haec- nus manisse integrum, fatebitur.

Dicendo-
rum, hoc ca-
pite, argu-
mentum.

§. 20. Byzantini igitur CEDRENS, ZONARAS & JOH. SCYLITZES CVROPALATES memoria prodiderunt, imperante Constantino VI. porphyrog. Leonis philosophi, ex Zoë, filio, CPolim accessisse Duces Hungarorum, *Bulosudem* & *Cylam*, ac, *Christiano* ritu initios, liberaliterque ab Imp. acceptos, domum revertisse. Et quanquam *Bulosides* fidelis, quod cum deo, in baptimate, pepigit, recidit, *Gylas* tamen constans in agnita veritate perseveravit, *Hierotheum* que monachum, quem Theophylactus, Patriarcha Constantinopolitanus, Hungaria Episcopum rite ordinavit, secum abduxit, ut ejus, in convertenda gente sua, ministerio uteretur; qui & multos a barbarico errore ad Christianam fidem traduxit. Testimonia igitur scriptorum istorum primum recitabimus: deinde, *Bulosudem* & *Gylam*, Hungarorum Duces omnino fuisse, demonstrabimus: porro, qua occasione *Gylas* quoque. *Gylas* istius opera, ad Christum adductus fit, edifferemus: tempus denique, quo *Gylas* Constantinopolim venit baptizatusque fuit, investigabimus.

Cedreni
locus.

§. 21. CEDRENI, interprete XYLANDRO, ista sunt. Ceterum Turcae non ante finem fecerunt, in Romanas ditiones graffandi, quam *Bulosedes*, eorum princeps (in græco legitur: Βελσεδης ὁ τούτων ἀρχηρος) fidem se amplecti Christianam simulans, Constantinopolim venit, baptizatusque a Constantino est exceptus, ab eoque patrii dignitate

Ε magnis donis ornatus ditatusque domum rediit. Non multo post Gylas, ipse quoque Turcicus princeps (Γολᾶς, ἀρχων ὁ καὶ ἀυτὸς τῶν Τέρων) eodem sc̄e, eiusdem rei causa, confert, baptizatusque εἰς eodem, quo prior, modo tractatus, monachum s̄ecum abduxit Hierotheum, pietatis fama celebrem, quem Turciæ episcopum Theophylactus patriarcha designavit (αὐτὸς δὲ μετ' αὐτῷ καὶ τινα μόναχον, Ιερόθεον τενομα; δέξαντες εὐαγγεῖαν ἔχοντα, επίσκεπτον Τυρκίας παρεῖ τοῦ Θεοφύλακτου χεροτονθέντα) Isque, ut in Turciam venit, multos, a barbarica fraude, ad Christianam religionem traduxit (πολλὰς ἀπὸ τῆς Βαρθαρικῆς πλάνης εἰς τὸν χριστιανισμὸν ἐπανήγαγεν) Ac Gylas quidem constans in fide man- sit, εἰς neque ipse in Romanos impressiones fecit, εἰς captivos Christianos emens curavit. Bulosides autem, pauci, quae cum deo inierat, rescis- sis, saepè cum omnibus suis in Romanos expeditionem suscepit. Quod idem contra Francos tentans, captus εἰς ab eorum Rege Joanne in palam suffixus est (τὸ δὲ αὐτὸς τοῦτο καὶ κατὰ Φράγγων πεῖσται διανοῖται καὶ αὐτὸς ἀνεπολεστίῃ ὑπὸ ιωάννου τοῦ βασιλέως αἰτῶν (p).

§. 22. ZONARAS non multum quidem a CEDRENO, in re, di- Zonara
screpat, habet tamen singularia quædam; verba igitur illius ex loco,
WOLFI translatione, a CAROLO DV FRESNE Dn. du Cange recensita,
adscribemus. Turci, Vngaros autem ita vocari supra diximus
(τὸν Τέρων, ίοὺς Οὐγγαροὺς δὲ αὐτῷ παλαιῶντας πρώτην εἰρηναμεν) alias
provincias Romanas incursare soliti, ad tempus quieti fuerunt. Nam
dux eorum Bulogudes, εἰς partis cuiusdam princeps Gylas (ὁ γὰρ Ιω-
λαντος ορθηγητῶν βελογεδῆς καὶ ἡμίνος, καὶ θερος δὲ αὐτὸς Γολᾶς, καὶ αὐτὸς
μέρους ἀρχων) Imperatorem convenerunt, amboque sacro-sancto regenera-
tionis lavacro iniciati, εἰς arcana nostræ religionis imbuti, ac patri-
tia dignitate ornati onuslique pecuniis, in suas sedes redierunt: ad-
ducto pontifice, per quem multi ad dei cognitionem devenerunt. (λαζόν-
ιος καὶ Αρχιερέα δὲ ὃν πολλοὶ πρὸς ἐπίγνωσιν θεοῦ μετηνόχθησαν) Ac Gylas
quidem in fide permanxit, pacemque seruavit. Alter, sedere, quod cum
deo icerat, rupto, arma Romanis intulit: idemque contra Francos facere
adgressus, captus est εἰς in crux actus (ιάλω καὶ ἀνεσάνεῳ) (Q). IOH.
CVRO-

C 3

(P) CEDRENVS in Compendio historiarum, Tomo II. pag. 636. editionis
regiae Parisenſis.

(Q) ZONARAS Annalium Tomo II. lib. XVI. pag. 194. edit. regiae Parisenſis.

Cum quibus C^VROPOLOATAE verba omittimus; legi enim possunt; apud conferendū BARONIVM (r), INCHOFER (s), alios, inque gallicum translata apud Scylitzes. CLAVD. FLEVRY (t). Vnum reticendum non est, Regem Francorum, quem CEDRENVS Johannem appellat, a SCYLITZE Ottonem dici.

Bulofides &
Gylas, Tur-
corem Du-
ces, CPoli
rel. Christ.
amplexi, a
Spond. &
Inchof. cum
veris Tur-
cis confun-

§. 23. Bulofides & Gylas cuius gentis fuerint, ostendendum jam est. Turci, & Turcorum Duces, a Græcis nostris vocantur; unde HENR. SPONDANVS germanos fuisse Turcos autumavit, notante TIMONE. Pergit idem TIMON: Inchofer autem ex nominibus Vngaros fuisse conjectit (u). Nihil vero ex nominibus conjectit INCHOFER, sed in clarissimis ZONARAE verbis hærens, dum Turcos illos Hungaros esse monet, conjecturas dubias atque obscuras extricavit. Audiamus ipsum. In reliquis, inquit, quæ hoc anno signari possent, dissentientes video Græcos & Latinos. At verò ex silentio Latinorum nullus cum Græcis dissensus excuspi potest. Quid, quod in morte Ducis unius Latini cum Græcis conspirent. Proinde INCHOFER, quid de testimoniosis Græcorum faceret, vel ignoravit, vel rei gestæ tenebras de industria offudit. Scribit hinc, recensito prius Bulofidis suppicio. Zonaras, inquit, - in nomine Ducis convenit, sed Vngrorum, seu Hungarorum, quos cum Turcis confundit, Duce fuisse adfirmat. De quo tamen capio, & ab Ottone morte multato, apud Latinos nulla habetur mentio. Apud BARONIVM, dicendum fuisse INCHOFERO, nulla habetur mentio; quem hoc loco, ut alibi passim, fideliter compilavit. Ad ultimum, more suo, commentatur, id est, cerebri sui foetus edendo obtradendoque. Crediderim, inquit, si Bologudes & Gylas Hungari fuerunt, ex iis fuisse, qui aliquando, discedentibus a se invicem, religionis causa, in Pannonia Hungaros, in Bulgariam pars abiere, pars in Græciam, ut Græcorum Imperatori mererent cet. Quo autem pacto Bologudes in manus Ottonis pervenerit, difficile est divinare. Nisi for-

(r) BARONIVS Annalium ecclesiast. tomo X. ad a. 958.

(s) INCHOFER Annalium ecclesiast. regni Hung. ad a. 958. pag. 181.

(t) FLEVRY Histoire Ecclesiastique Tome XII. pag. 56. edit. Bruxell.

(u) TIMON in Imag. Hung. ant. lib. III. cap. V. pag. 303.

fortasse, postquam meliorum pœnituit, in Pannoniam, post suorum cladem, reversis, eos iterum ad arma solicitavit cet. (x).

§. 24. *Enimvero si Græcos nostros amplius, quam BARONII Sed germanæ paginæ tulerunt, inspexisset INCHOFER, Turcos, de quibus loquuntur, veros & genuinos Hungaros esse, evidentissime poterat cognoscere. ZONARAS id aperte testatur, loco citato scribens, Turci, inquit, Vngaros autem ita vocari supra diximus. Nimirum, cum Hungarorum, a Leone philosopho, aduersus Bulgaros, excitorum, primum meminisset. Quibus, inquit, rebus acerbo dolore affectus Imperator Turcos, Istrum accolentes, qui Ἐ Vngri vocantur (τέρης, τὸς περὶ Τὸν Ἰστρον, ἐις οὐγύρου καλεῖσθαι) muneribus impulit, ut Bulgaros invaderent (y). Pariter CEDRENVS, de eadem Hungarorum, contra Bulgaros, invitatione, Imperator, inquit, in summum animi coniectus dolorem, Nicetam patritium, cognomento Sclerum, per Istrum, ad Turcos, diū Ἐ Vngros (Τέρης τε Ουγγρες καλεμεντες) mitrit (z). Mirari subit Doctissimum GOARVM, reprehendentem XYLANDRVM, quamvis hic græcum optime vertit. At GOARVS interpreti notulam opposuit. Turcos, inquit, hic cum Vngris confundit interpres, quos auctor, particula conjunctiva καὶ, prodit diversos (a). Atqui particula καὶ ex textu exiliat, nec, si adesset, interpreti fraudi foret. Quæ vero GOARVS porro in contrarium commentatur, nihil ad rhonibum faciunt. Turcis enim, qui Persiam occuparunt, quid, illa ætate, ad Istrum rei est? Atque ut scriptorum Byzantinorum lectoribus omnis scrupulus eximatur, neque in dubio positum amplius sit, quorsum res Turcorum, quos ad Istrum ejus temporis Græci collocant, in Europa gestæ, referenda sint, ad oculum demonstrabimus, Turcorum nomine Hungaros eis venisse, adeo ut ex nomine gentis Hungarianam quoque Turciam appellarent.*

§. 25.

(x) INCHOFER loc. cit. ad a. 958. pag. 481.

(y) ZONARAS loc. cit. pag. 176.

(z) CED. ENVS in Compendio historiar. Tom. II. pag. 596.

(a) GOARVS in Notis, ad hunc locum Cedreni.

Idem ex Constantino te & literarum ornamentiis eminentissimus, *Imp. CONSTANTINVS porphyrog VI. PORPHYROG.* ad eum modum describit. *Turcis*, inquit, *hae gen-evincentur.*

§. 25. Turcos illos igitur scriptor coxvus, idemque dignita-
Constantino te & literarum ornamentiis eminentissimus, Imp. CONSTANTINVS
porphyrog VI. PORPHYROG. ad eum modum describit. *Turcis*, inquit, *hae gen-evincentur.* *tes conterminae sunt: Ad occidentem Francia: ad septentrionem Pa-tzinacitae: ad meridiem magna Moravia, sive Sphendoploci regio, quae omnino a Turcis vastata est, & ab ipsis jam possidetur (η μεγάλη Μαραβία, ηδι η χώρα σφενδόπλοκον. ηδις ναυ παντελῶς ηφανέσθ, παρὰ τὰν ισιτων Τσεριαν, καὶ παρ αὐλῶν πατεχεῖν) Chrovati vero ad mon-teis Turcis adjacent (οἱ δὲ χρασάται πρὸς τὰ ἔντος Τέρρους παράκεντες)*
 (b). *Francie & Francorum nomine quos intelligat, luculente CON-STANTINVS ipse docet, Γεωμετρεῖον νῦν καλεμένος Φεράγγες Germanos*, inquit, *qui jam Franci vocantur* (c). De Ottone hinc alio loco, *Οτω ὁ μέγας εἰς Φεραγγιας ηδις ναυ Σαξίας Otto*, inquit, *magnus Rex Francie, quae & Saxonie* (d). Finitimæ igitur Turcis nostris gentes, teste CONSTANTINO, quas secundum CPoleos situm dimen-fus est, fuerunt: ab occidente Germani, ad meridiem magna Moravia populi; quorum Regem Sphentoplocum, sive Svatoplucum, Hungari devicerunt, occupataque hostili terra, florentissimum Hungaria regnum, ad utramque Danubii ripam, condiderunt. Vnde CONSTANTINVS, *Quae omnino a Turcis vastata est, inquit, & ab ipsis jam obtinetur.* Explicaverat autem Svatoplucus fines regni sui ultra Dravum, ex parte etiam Savum, ad alpes usque Noricas. Ac licet victores Hungari profligatos a Danubio Moravos, vel, ut alii, Latini potissimum, loquuntur, Slavos Marahenses, ultra Dravum persecuti sint, statimque a principio irruptionis sua partem aliquam, intra Dravi & Savi confluenta, expugnaverint (e), man-sit tamen potior pars superior juris Marahensium; ex quo ma-

(b) *CONSTANTINVS De administrando imperio ad filium Romanum cap. XIII. pag. 63sq. Tomo I. Antiquit. CPolitanar. quas ANSELMVS BANDVRI, duobus tomis, edidit Parisiis.*

(c) *IDEM ibidem cap. XXV. pag. 79.*

(d) *IDEM ibidem cap. XXX. pag. 95.*

(e) *IDEM ibidem cap. XLII. pag. iii. Et habitant quidem, inquit, trans Danubium flumen Turci, in terra Moravia, atque etiam ulterius, in tra Danubium & Savum fluvios.*

gnam Moraviam ad meridiem Turcis nostris sitam, Constantinus dixit. Parzinacitæ, quos ex opposito ad septentriones collocat, gentes sint oportet, ultra Carpathicos montes, per Russiam rubram, Podoliam atque Vkrainam, longo tractu, ad pontum usque Euxinum, olim diffusæ; id quod ex aliis Constantini descriptionibus facile evinci posset, nisi in his brevitati nobis studendum esset.

§. 26. Reliquum est, ut doceamus, quinam Chrovati fuerunt, quos Turcis ad montes adjacere, CONSTANTINVS memorat. Montes Carpathicos, quos montium Chrovaticorum nomine, nescio quam bene, insignivit, qui tabulam geographicam, ex mente Constantini, adornavit, Clarissimus vir, GVIL. DEL ISLE, BANDVRI Antiquitatibus Constantinopolitanis insertam, intelligere haud licet. Populos equidem illos, ultra Carpathum positos, a CONSTANTINO Chrovatos quoque, & quidem albos, vocati, non diffiteor. Sed, cum tres plagas, occidentalem, septentrionalem & meridialem expresse designarit CONSTANTINVS, orientalem quartam fusque deque habuisse, censendus non est. Non igitur Chrovati, Turcis ad montes adjacentes, Carpathici esse possunt; hi enim ad septentriones quarendi forent: sed Servios interpretor, qui, latiore significatione, non raro Chrovati quoque Græcis audiebant, quod a Chrovatis eos descendisse crediderunt. Montesque adeo intellexit CONSTANTINVS Serviæ illos, quorum jugum, infra Belgradum adfligens, perpetuo nexu, in intimam usque Bulgariam excurrit. Quapropter alio CONSTANTINVS loco Bulgarios Turcis ad orientem collocat. Confines autem Turcis sunt, inquit, orientem versus Bulgari, ubi eos Ister fluvis, qui & Danubius dicitur, separat: septentrionem versus Parzinacitæ: ad occidentem Franci: ad meridiem Chrovati (f). Habes itaque Turcorum illius ævi, in Europa, fines, id est Hungarorum, quos, Constantini ætate, longe jam lateque in omnibus illis oris dominatos, historiarum scientes non ignorant.

§. 27. Ac non possumus, quin unum insuper locum PORPHYROGENITI adscribamus, quo nihil, ad confirmandam sententiam nostram, dilucidius, in recessu plura etiam habet. Locus, inquit, quem primi-
Turcos, ad Istrum, aeo Constantini, Hungaros

(f) CONSTANT. PORPHYROG. loc. cit. cap. XL. pag. no.

Siuisse dictos, primitus Turcæ occupabant, a fluvio interlabente nuncupatur, Erel ^E
 amplius Cutzu; in quo nunc Patzinacitæ commorantur. A quibus pulsæ sane
 ostenditur. Turci (g), ^E profugientes, sedes posuerunt illic, ubi nunc habitant.
 In hoc autem loco antiqua quedam monumenta supersunt, inter que
 pons Trajani Imp. ad initia TVRCIAE, ^E Belgrada, que trium dierum
 itinere ab ipso ponte distat; ubi turris est sancti ^E magni Constantini
 Imp. Et rursus, ad cursum fluminis, exsulat Sirmium, quod Belgrada
 abest duorum dierum itinere. Inde magna Moravia, baptismo carens,
 quam , Turcæ devastarunt, cujusque princeps olim fuit Sphendo-
 plocus. Atque hæc quidem juxta Istrum flumen monumenta sunt ^E
 cognomina. Ulteriora vero, que omnia Turcis habitantur, cogno-
 mina nunc habent a fluminibus transcurrentibus. Eorum primum
 Timeses est, alterum Tutes, tertium Moreses, quartum Crisus, quintum
 Titza (Τιμήσις, Τέτης, μορήσις, Κρήσις, Τίτζα) Confines autem Turcis
 sunt, orientem versus Bulgari cet. (h) quæ jam protulimus. Vides
 igitur, ex hoc ipso CONSTANTINI loco, dum pontem Trajani &
 Belgradum ad initia Turciæ ponit, Turcæ nomine ei Hungariam
 venire. Cui adjungo mirificum CEDRENI dictum. Locutus
 nempe de castellis Morabo & Belgrado, pomi illius, ab omni ævo,
 eridos, Quæ sunt castella, inquit, Pannoniæ, trans Istrum sita, vicina
 Regi Turciæ (Φεργεῖα δὲ τὰῦτα τῆς Παννονίας, κατὰ τὴν περαιάν τὴν ἵππη
 διακέμενα, καὶ γενοῦντα τῷ κράλῃ Τερκίᾳ) (i). XYLANDER vertit:
 Turcicæ vicina ditioni. Recte hic castigatus à GOARO, in notis.
 τῷ Κράλῃ. Xylander, inquit, ditioni: verius Regi. Cralles, Bul-
 garica lingua, Rex. Non Cralles, sed Kral, nec Bulgaris tantum,
 sed omnibus Slavicis nationibus Regem notat. Vnde & Hungari
 suum Kiraly, quod idem significat, acceperunt, ad quod respexisse
 videtur CEDRENVS. Quare cum Hierotheum monachum, a Theo-
 phylacto, Patriarcha Constantinopolitano, Turciæ Episcopum in-
 augu-

(g) Eadem RHEGINO PRVMIENSIS, de Hungaris, refert in Chronico, ad
a. 889.

(h) CONSTANTINVS de Administr. imp. cap. XL. pag. 109. sq.

(i) CEDRENVS in Compendio historiar. Tomo II. pag. 745.

Hungaria
quoque di-
cta Turcia.

auguratum scribunt CEDRENVS & IOH. CVROPALATES, *Hungarie*
Episcopum inauguratū existimes.

§. 28. Et hactenus *Bulsfudem* & *Gylam* Hungaris vindicavī. Cur Hungari-
mus, argumento ex Turcorum denominatione sumto, quod, pri-
mo obtutu, contra nos militare videbatur. Plures hinc ex CE-
DRENI, ZONARAE, CONSTANTINI, LEONIS grammatici aliorumque
narrationibus, notas chronologicas, geographicas propriisque ex
nominibus petitas, missas in præsens facio; sufficere enim, quas
adduximus, possunt ad demonstrandum, *Turcos* illos Græcorum,
germanos *Hungarorum* progenitores esse. Ceterum, cur Hungari
dicti Turcæ, non sine ingenio TIMON, *De reliquo*, inquit, *Græci*
Vngaros *Turcos* vocaverint, tum quia ad similitudinem ac feritatem
verorum Turcorum accedebant, tum quia germani Turcæ, quod in-
dicant primorum Regum leges, de *Iisraelitis* scriptæ, conficiati erant il-
lis (k). Sed ad illustrationem antiquitatum Hungaricarum notan-
dum amplius, ex illo Græcorum, omnes in universum Hunno-
rum gentes Turcorum appellationem gessisse. Vnde Hungarico-
rum scriptorum sententia aliquid ex eo etiam præsidii acquirit, dum
Hungaros genuinam Hunnorum propaginem statuunt. Proceden-
te vero tempore Hunnis solis Caucaſis, quos PRISCVS Rhetor Ki-
daritas, PROCOPIVS & AGATHIAS Ephtalitas, itemque albos, qui-
dam, præmisso nō Nephtalitas, appellant, hoc nomen adhæſit.
Hinc AMRVS, seculi XIV. scriptor Arabicus, Kidaritarum, sive
Ephthalitarum, illorum Hunnorum bella, cum Peroze Rege Per-
sarum gesta, enarrans, non Hunnos eos amplius, sed sua etatis ſi-
lum fecutus, Turcos appellat (*). Et hæc est illa gens Turcorum,
qua, cum Saracenis post hæc conjuncta, Asiam & Europam inun-
davit, vastissimumque, per omnes tres orbis partes, imperium ad-
se rapuit, quæque, in hunc usque diem, Turcorum nobis appel-
latione venit.

D 2

§. 29.

(k) TIMON in *Imag. Hung. ant. lib. III. cap. V. pag. 366.*

(*) Fragmentum ejus, quod JOSEPHVS SIMONIVS ASSEMANVS Biblio-
thecæ orientali Clementino-Vaticanae inferuit, legesis Tomo III. parte
I. p. 198.

Geyfa, Gylæ §. 29. Ad tertium, qua nimirum occasione, *Gylæ* Ducis ope-
five Gyulae ra, *Geyfa* quoque ac populus, qui sub ejus erat imperio, Hunga-
Ducis ope- rorum, ad Christum fuit adductus, nos accingimus explicandum.
ra, per nu- ptias Sarol- Velim igitur notari. *Sarolta*, Gyulae Ducis Hungarorum filia,
tæ, Christo nuptum tradita fuit *Geyfa*, ex qua natus S. Stephanus Rex. Con-
statuimus hæc Hungarorum traditio est, quam nulla plane ratio nos
cogitare descerere. Si itaque demonstraverimus, *Gylam* Duce, qui
Constantinopoli Christo nomen dedit, eundem esse, quem Hunga-
gari *Gylam* vocant, *Geyfa* sacerorum, Stephani autem Regis a-
vum, verosimillimo arguento inferre licebit, *Saroltam*, in do-
mo Christiana altam, inque patria disciplina eruditam, electum il-
lus vas fuisse, quo divina bonitas usq; est, ad *Geylam* cœlesti ve-
ritate imbuendum, gentemque Hungaricam meliorem ad frugem
reducendam. Quod pluribus confirmabimus, si prius *Gylam* Hunga-
rorum, Græcorum *Gylæ*, cum non differant, nisi modo scri-
bendi, sufficerimus.

Gylas &
Gyula nomi-
na eadem.

§. 30. Res tota eoredit, ut deceamus, quo sono Hungari
suum *Gyula* pronuntient, & quam commode ea vox a Græcis ex-
primi potuit. Elementum G duplarem apud Hungaros potesta-
tem habet. Jam enim durius sonat, eundem ad modum, quo
efferi a nobis solet, in vocibus latinis, ante A, O, U, ut in *vaga-*
ri, *margo*, *gusto*. Jam mollius, ut *Di* Gallorum, in vocibus
Dieu & *Diable*. Duplarem itaque potestatem cum apud Hunga-
ros G habeat, cum durius sonat, id nude scribunt: quoties vero
efferendum est mollius, distinctionis gratia, ad G y post G adjiciunt. Ut
adeo y post G, apud Hungaros, non sit distincta litera, vocalis
vel consona, sed nota tantummodo diacritica est, y G addita
propterea, ut mollem ejus pronunciationem lectoribus insinuaret.
Quibus observatis, nomen Gyula rite lecturus, vocem in duas dun-
taxat syllabas dispescat, &, ad analogiam prædictarum vocum Gal-
licarum, dicat DIU-LA. Atque hæc de Hungarorum vocabulo;
cui Gylas Græcorum, quantum per rationem istorum scribendi li-
cuit, prorsus respondet. Constat enim apud Græcos U breve
Latinorum, in vocibus propriis, per Y scribi. E. c. pro Romu-
lus,

Ius, Lusitanis, Sulla, scribunt ρωμέος, Λυσίανος, Σύλλας. Hujusmodi sunt & hæc appellativa μῦς mus, σῦς sis cet. Ergo Gylas, idem est, ac Gulas, ipfissimumque Gyula; nam Σ finale ad terminacionem græcanicam spectat, cuiusmodi est Σύλλας, pro Sulla. Mollem vero elementi G sonum cum Græci commode exprimere non possent, merum γάμμα scripsere. Nec veteres subinde Hungari aliter; scripserunt enim Gewr, pro Gyewr, quod hodie est Györ: unde in diplomatis antiquis Episcopus Gewriensis, pro Györiensis, id est Jaurinenis.

¶ 31. Isque Gylas Græcorum, quin idem sit, ac Gyula Hungarorum, dubitate nos non sinunt rationes partim chronologicæ, Gyula vir partim regionis, cuius dominium obtinebat, situs. Scriptoribus unus idem namque Hungaris perhibentibus, auspiciis suis Transilvaniam requexit; memoriamque nominis, ad nostrum usque seculum, retinuit Transilvaniæ caput Alba Julia, Hungaris dicta Gyula - Fejérvár, id est, Alba Gyule: & hinc circumiacens quoque regio, Albensis Comitatus nomine insignis, Hungaris Fejér-vármegye audit CAROLI VI. Imp. Opt. auspiciis, Albensis urbs, accessiones nacta amplissimas, jam Carolina salutatur. Ex Transilvania igitur proximum Gyulæ Duci, in urbem Constantini, iter patebat. Adde, præsturæ ipsius fines imperii adtigisse CPolitanorum; quod CEDRENI & ZONARÆ verba, quibus pacem cum Romanis eum servasse, & ab omnibus incursionibus in fines Romanorum sibi abstinuisse, testantur, satis superque docent. Vnde, vel ipsa vicinitate Gyula permotus videtur, ut primum Græcis familiarius uteretur, faniisque ab eis doctus, CPolim deinde peteret. Calculus denique chronologicus, paulo post accuratius subducendus, ostendit, Gyulam nostrum & Stephani patrem Geysam coetaneos fuisse, ut hic filiam istius uxorem ducere, Stephanumque ex eo conjugio suscipere, potuerit. Circa annum 950. CPolim accessit, ac Christianorum mysteriis ibidem est initiatus. Stephanus vero, annalium Hungaricorum fide, a. 969. in lucem fuit editus. BARONVS quidem, SPONDANVS, BALBINVS nativitatis. ejus tempus ad a. 989. transferunt, INCHOFER annum 985. posuit; quem & TIMON, in

Synopsis rerum Hungaricarum (1), est secutus. Idem vero, rebus Stephani accuratius ponderatis, in annalium Hungaricorum sententiam concessit (m).

Qua occasio-
ne Geyfa
conversus
sit, porro
ostenditur.

§. 32. Nullis igitur conjecturis operosis, nullis portentis, an fabulis, opus est, ad explicandum, unde Geyfa gentique ejus doctrinæ cœlestis lux illa beata adfuslit, si Saroltam, quam paulo ante, vel paulo post, Gyula susstulit, quam a paganisimi erroribus resipuisset, ad hoc præcipue opus a deo fuisse delectam, adsfirmavemus. Non inepte BALBINVS, Pulcherrima, inquit, in eam rem exempla suppeditant historie, in quibus sc̄minæ multorum bonorum, maximeque religionis Christiane, Regibus & regnis amplectende, causa fuerunt (n) cet. Adducit hinc exempla aliquot, & in his Gijele, quæ Hungarorum populum christiane credere docuit. At verius jam, cum de initiis religionis Christianæ lermo instituitur, in Gijele vicem Saroltam substituemus. Conferre enim cum nuptiis Stephani BALBINVS debuit, quæ de eodem, ab Adalberto baptizato, alibi scriptis (o). Filiæ incitamenta & amabiles vasiones, quin sacer Geyfa, Gyula Dux, pro virili parte sua, optimis consiliis foverit, salutaribus monitis suffulserit, generoque, in excundo præclaro facinore, præsidio & ope adfuerit, egregia viri laus, qua ornatur a Græcis, nobis persuadent. Si enim id operam sedulo dedit, ut sui imperii homines, a barbaricis erroribus liberatos, Christo vindicaret, eaque mente Hierotheum Episcopum CPoli adduxit, multo magis occupatum in eo fuisse, dubio caret, ut generum totamque ejus familiam cœlo redderet. Nec defuit

exem-

(1) *Synopsis hæc novæ chronologica regnorum Hungariae, Croatiae, Dalmatiae* cet. *Tyrnavia* a. 1714. edita, in 12. emendatior & ad annum usque 1736. producta, iterum prodit *Cassovia* a. 1736. in fol. sub tit. *Epitome chronologica rerum Hungaricarum* cet.

(m) TIMON in *Imag. Hung. ant. lib. III. cap. VIII. pag. 399.* inque *Epitome* pag. 1.

(n) BOHVSL. BALBINVS *Miscellaneor. hist. Bohemia dec. I. lib. VI. sect. I. cap. 16.*

(o) IDEM *ibid. dec. I. lib. VI. parte II. pag. 35.* inque *Epitome lib. IV. cap. 4. pag. 422.*

exemplum, quod praesentis inter Christianos dei religionem & Geysæ & Hungaris suis inspiraret, *Bulofudis* nempe, Christianorum sacrorum desertoris male conciliati, trifitis, in infami ligno, vita exitus. Quod *Gyulam* exemplum, &, qui suæ erant sententiaz, Hungaros neophytes, in expugnandis incredulorum animis, opportune ad usum convertisse, non est a fide alienum.

§. 33. Multi, Græcis nostris testantibus, *Hierothei* Episcopi Quomodo ministerio, ad veri dei cognitionem, ex Hungaris, pervenerunt. At istis quotidiana cum ceteris consuetudo fuit, commerciumque cum Hungaris, Geysæ imperio obnoxiiis, cum alias, tum post a spicatas Principum nuptias, intercessit amplissimum: cumque fama, primum de Geysæ, ejusque familiae, mox de procerum aulæ regia, religione, cui se se addixerunt, increbuisset, non potuit non latissima credentium seges, per universam gentem, secundo quasi imbre irrigatam, exsurgere. Qua dum fierent, non inficiamur vicinos populos, captivorum item Christianorum turbam, spe mitioris fortis incendiæ, strenue egisse, quod suum erat. Sed istos tantæ tamque excelsæ moli, a fundamentis excitandæ, pares fuisse, antehac negavimus. Nec facile quisquam id sibi persuadebit, qui, ut præfati sumus, meminerit, mancipiorum consilia durioribus dominis nauici & exosa, vicinorum, si alieno ab eis animo simus, quemadmodum, per ea tempora, Hungari ab occidentalibus fuerunt, vulgo esse solere ingrata. Inter eos quidem, qui Hungaros Christianam fidem inspirarunt, utque alacrius eam amplectentur, monitores fuerunt, primas ego partes *Slavis*, præterito seculo, a *Cyrillo* & *Methodio*, doctoribus Græcis, ad Christianum conversis, defero. Cum illis enim, statim post debellatum Svatoplucum, regnoque in expugnata provincia constituto, familiarissime vicitabant, adfinitates contrahebant, causam communem contra hostes faciebant. De quibus omnibus longum nimis hic effet commentari.

§. 34. Duo his, quæ hactenus dicta sunt, opponi possunt. Ad objectio-
Primum, quod *Gyula*, *Saroltæ* frater, paganis erroribus addictissimus, nem respon-
& *Stephano*, cum universam gentem cognitione Christi imbuere detur.

CONA.

conaretur, in primis adversatus sit, usque adeo ut S. Rex in avunculum, qui classicum prior cecinerat, exercitum! ducere cogeretur. Sed, adipirante meliori causa deo, Gyula vietus, provincia exutus, inque Hungariam, cum tota familia, abductus est; ex quo tempore Transilvania regno Hungariæ accessit. Ita THYROCZIVS, BONFINIVS, RANZANVS(p). Verum respondit ad eam objectionem TIMON, neque, ut ego arbitror, sine veri præsidio. *Nihil*, inquit, *obstat*, quod filius ejus, Gyula, adversatus fuerit D. Stephano; sepe enim liberi descendent a consuetudine parentum (q). Et quis ignorat, subsecutas interdum integrarum gentium defectiones ad errorem avitum; a quibus imperantes neque ipsi abhorruerunt, dum nullis aliis consiliis regnum consequi, aut adfirmare consecutum, se posse sperarent. Non longe abeundem nobis est. Defuncto Stephano, ejectoque e regno Petro, mox ipso & simul *Aba* de medio sublatis, Hungaria post liminio ad profanos ritus redierunt, *Andrea* Rege cum fratre *Leventa* conniventibus, suosque in lacras ades sacerorumque Christianorum antistites furere permittentibus. Et *Leventa* totus in paganismum propendisse dicitur.

Altera, ex
Polonorum
testimonio,
objectione
solvitur.

§. 35. Porro, cum plures ob conversam Hungarorum gentem de palma dimicent, *Germani*, quod *Gyselam* Hungarorum Regi desponderunt, *Pilgrinus*, Laureacensis præsul, fidelem eis operam navavit: *Bohemii*, quod *S. Adalbertus*, e sua gente ortus, apostoli apud Hungaros munere functus sit: *Graci*, quod *Bulofides* & *Gylas* Constantinopoli baptizati, & quod Hungaria Episcopum derint *Hierotheum*; tum & *Poloni*, ejus gloriae avidi, suas hic res agunt. *Geylam* illi secundas cum *Adleide*, Mieclslai I. sorore, nuptias contraxisse contendunt, eumque gentemque Hungaricam veritati locum dedisse, a foemina Polona persvalos. Amplius, *S. Stephanum* ex *Adleide*, non *Sarolta*, *Geyla* natum volunt; unde visum illud, quod nostri *Sarolta* tribuunt, illi ad *Adleidem* referunt

(p) THYROCZIVS in *Chron. p. II. cap. 29.* BONF. dec. II. lib. I. RANZANVS in *Epitome, Indice VIII.*

(q) TIMON in *Imag. Hung. ant. lib. III. cap. V. pag. 365.*

ferunt. Hæc DLVGÖSSVS (r), CROMERO nihil definire auso (s). Sed docere nos Poloni debuissent, cuiusnam tantæ auctoritatis præsidio fulti, & annalium Hungaricorum fidem repudient, & omnibus penitus antea ignota narrant. Et certe, si cum animo repetamus, quæ indubitate Byzantinorum fide retulimus, hisque firmis rationibus superstruximus, non erit quod Polonorum, in hoc argumento oppido recentium, dissensu moveamur. Si quo tamen numero testimonium ipsorum habendum, concedamus eis licet, Geylam alteras cum Adleide, principe virgine Polona, nuptias invisse. Ita annalium quoque Hungaricorum fidem liberaverimus, qui, post obitum Geyz, Cupam, Ducem Sümegensem, viduam ejus ambiuisse, memorant, ut, eam nactus uxorem, Stephanum facilius subverteret, rerumque in Hungaria potiretur. Nam prima Geyzæ conjux, ex qua, triginta ante annos, natus erat Stephanus, anus jam ea ætate fuerit oportet; difficilius hinc a proco induci potuit, ut filium de gradu deturbari pateretur, saltem ut ipsa, igne novo calefacta, senectutis frigus lenius ferret. Contra vero a noverca id ipsum facilius impetraturus erat. Verum, si vel maxime illud Polonis demus, nondum tamen liquebit, paganis an Christianis addicitionis Adleidæ fuit? Si illud, res tota in vado est: si vero Adleidis opera Geyza & gens Hungarica ad fidem Christianam pervenerunt, difficillimum erit Hungaros cum eis conciliare. Etenim qua obtinendarum nuptiarum spe Adleidem, feciminam religiosissimam, cuius instinctu Christiana inter Hungaros religio plantata est, uxorem Cupa ambivisset, cum ipse sacra Christiana dire exsecaretur, hocque unice ageret, ut regno, uxoris beneficio, potitus, fidem Christianam denuo exterminaret? Sed de his Poloni viderint. Hungarorum nos hac in re testimonium potius sane putamus, quod in Polonis partium quoddam studium eluceat, Hungaris autem nulla aderat ratio, quæ eos in transversum egisset. INCHO-
FER, nescio ex quibus somniorum oraculis, duas, ante Saroltam, notatur,

E

Gey-

(r) DLVGÖSSVS *Historie Polonicae* tomo I. ad a. 968. & 969.

(s) CROMERV^S *De origine & rebus gestis Polonor.* lib. III. in Mieciisla.

Geyſæ uxores vult didicisse (t). Ilicet CROMERVUM, quem allegat, dormitans legit, dormiensque legensque id ſomnii ſomniavit.

In tempus,
quo Bulſides & Gylas
CPolin bapti-
zati, inquiri-
tur.

§. 36. Superefit, hoc capite, ut tempus erijamus, quo Duces Hungari, Bulſides & Gylas, CPolin acceſſerunt, militiaque Christianæ adſcripti ſunt. Hinc enim, ſine dubio, initia religionis Christianæ inter Hungaros, non privatim a privatis, ſed publice & ſolemnier receptor, arceſſenda erunt in posterum. Publice enim id fieri dici meretur, quod a viris, ad reip. clavum ſedentibus, fieri videmus. Ab his enim exempla cives ſumere, & ipli exempla ſua, cum recte agere ſibi videntur, pro lege vulgo ſuis ſolent proponere. Chronologici quidem characteres varii nobis ſuppetunt, quanquam nullus, fateor, ejusmodi, ut & annum eruere recteque conſtituere poſſemus. Dabitur tamen operam, ut proxime ad eum accedamus. Primum igitur notandum, Theophylactum id temporis Patriarcham ſediſſe CPolii; is naque Hierotheum Hungaria Episcopum inauguraſſe dicitur. At Theophylactus eccliam CPolitanam gubernavit ab a. 933. ad a. 956. quo hydropicus, cum biennio ex morbo laboraſſet, consumptus eſt. Quam ob rem Bulſudem & Gylam ante a. 956. baptiſtate lotos confequitur. Qui character contra INCHOFERVM, Ducum baptiſma ad a. 958. referentem, teñendus eſt. Ipſe, ad a. 955. ex CYROPALE, obſervaverat INCHOFER, Theophylactum anno ſequente, id eſt, 956. miſerandum vi- ta finem habuiſſe. Quo magis mirum, unde in errorem illum incidit. Nempe BARONIVM temere tranſcripſit, qui ad eundem annum Ducum noſtrorum baptiſma commemoſavit. Sed non intellexit Baronium INCHOFER; is enim ad hunc annum ſupplere voluit, qua ſuo loco adſcribere omiſit. Ait enim, *Hic in memo- riam revocandun, quod de eodem Ottone ſcripſit Cyropalates, hoc tem- pore nempe Turcarum Regem, ſive Ducem eſt. (u).* Quanque fide optima Baronium compilavit INCHOFER, illud etiam, quod narratio- ni baptiſtorum Ducum ſubjicit, indicio eſt, *De quo tamen, inquit,* capto

Character
chronologi-
cus prior.

INCHOFER
in viam
reducitur.

(t) INCHOFER in *Annal. eccl. regni Hung.* ad a. 985. pag. 225.

(u) BARONIVS, loco ad §. 22. citato.

capto & ab Ottone morte multato, apud Latinos scriptores nulla habetur mentio (x). Isdem verbis BARONIVS, De dicto, inquit, Duce Turcarum ab Ottone capto, & morte multato, apud Latinos nusquam mentio.

§. 37. Deinde advertendum, Græcos nostros Romani prius Character Lacapeni, Constantini Imp. socii, inque imperio collegæ, filiorum secundus que ejus, Stephani & Constantini, ex filium describere, quam Ducum Hungarorum adventum enarrant. Solus igitur Constantinus imperium tenuit, Hungaris Cpolin accendentibus, quod & scriptores nostri communibus suffragiis confirmant. Vnius namque Constantini, qui advenientes liberaliter accepit, meminerunt. Et Romanus quidem imperio exutus, inque Proten insulam, a filio Stephano, relegatus, secundum FLEVRY (y), fuit d. xx. decembr. a. 944. Filii similiter Romani, non multo post, uno admodum mense paucisque interjectis diebus, d. xxvi. Januarii anni sequentis 945. eandem sorte sunt experti. Subjungunt Græci nostri proxime, ante Ducum Hungarorum adventum, factiosorum quorundam, qui partim Romanum, partim Stephanum, ab exilio reductos, in imperium restituendi consilia ceperunt, oppressionem. Nihil vero succurrit, quo pœnam, a conspirantibus sumtam, ad suum annum referamus. Romanus tamen, observante FLEVRY, cuius calculum sequimur, a. 948. d. xv. Iunii, in insula Prote mortuus est. Anno igitur 945. hactenus inhærere nos oportet.

§. 38. Tertio autem notandum, quod Bulosudem, rescissis, Character quæ cum deo icerat, pactis, exercitum in Francos duxisse, captum tertius; vero a Rege istorum in crucem sublatum esse, Græci nostri scribant. CEDRENVS quidem in nomine Regis peccat, Iohannem additis nominans. At correxit errorem IOH. CVROPALATES, dexterrimeque stricturis aliquot.

E 2

na

(x) INCHOFER, loco ad §. 22. itidem jam citato.

(y) FLEVRY in Hisp. ecclesiast. Tomo XII. pag. 53

na propria exarant, sive ab ipsis auctoribus, sive a scribis indoctis, profecti. Rectius nomen illud scripsit CONSTANTINVS Imp. BULTRZVS, Bultzus (z). Melius enim id congruit cum Bulchu, quod Hungari pronuntiant Bultschu; quem THVROCVS aperte inter Duces Hungarorum, laqueo extinctos, memorat (a). Sed & THVROCVS in nomine Imperatoris errat; Conradum enim, pro Ottone, nominat, lepidam ad texens narratiunculam, Imperatorem ab altero Ducum, Leel, priusquam hic supplicio adficeretur, cornu militari percussum, & ad inferos praemissum esse. Videntur autem nostri Conradum, Ducem Lorbariensem, in memoria habuisse, qui, infestus Ottoni, Hungarorum agmina in Germaniam excivit: facti autem poenitens cum Imperatore, in gratiam iterum redit, fortiterque contra Hungaros, prius federatos, jam hostes, pugnans occubuit: & sic proditionis poenas Hungaris dedit, perfidiamque in suos, honesta pariter morte, expiavit. Quod TIMONEM quoque observasse video (b): nos, ex AVENTINI lectione, conjecturam fecimus. Neque AVENTINVS supplicium Bulchu recensere oblitus est, Bultrzonenem vero ille ac Regem vocat Hungarorum; cui quatuor subjecti fuerint Reguli, Schaba, Lelius, Sura, Toxus, quos omnes pari supplicio sublatos prodit (c). At contra aliorum, de rebus Germanicis, scriptorum fidem, qui tres tantummodo numerant, THVROCVS, in Chronico, duos. Enimvero neque Henrico Imp. gloriosum post illa fuisse, sororem Giselam nuptum dare Stephano, cuius avus Toxus pudenda morte periit. Clades illa Hungarorum Ducumque, in quibus Bulchu, sive Bulosides, primus fuit, incidit in a. 955.

§. 39. Denique negligendum non est, quod ZONARAS tradit, post suscepturn a Ducibus baptismum, Hungaros ad tempus conque-

Character
quartus.

(z) CONSTANTINVS de Administrando imperio cap. XL. pag. 110.

(a) THVROCVL. Chron. Hung. part II. cap. 25.

(b) TIMON in Imag. Hung. ant. lib. III. cap. V. pag. 359. sq. Eleganter vero ille. Fuit itaque Conradus, inquit, Dux Lothar. in congressu casus, quem reduces Hungari dixerint fuisse Imperatorem, & ad gloriam gentis jaHaverint.

(c) AVENT. Annal. Bojor. lib. V. cap. I. sect. 26.

quieuisse, ac rursus *Bulosudem*, rupto foedere, impressionem in Romanos fecisse. Secundum CEDRENVM, πολλάνις σὺν παντὶ ἔθνει κατὰ Ρωμαίους ἐγένετο scipio, cum universa gente, Romanos adgressus est. Hæc Hungarorum quies, & repetitæ, *Bulosudis ductu*, incursionses, donec tandem res male ipsis, ac Duci cùm primis, verteret, quatuor saltem aut quinque annos, si non plures, a fatali *Bulzkonis anno*, qui fuit 955. retrogradiendo, abstulerint. Quam ob rem initia Tempus religionis Christianæ inter Hungaros, aliter hactenus ab aliis, circa quæstum annos 969. & 989. hærentibus, quæsita exsculptaque, altius reducenda, & circa medium annorum 945. & 955. collocanda erunt constitutur. in posterum. Ponamus igitur a. 950.

§. 40. THVROCZIVS, in *Chronico*, cum Saroltam, Geysæ uxore, rem, Gyula illius filiam fuisse scribit, qui e septem Ducibus, cum gicus Thumultitudine Hungarorum, e Scythia egressis, tertius erat (d), to-roczii error to pæne seculo aberrat: imo, si ex annalium ejus calculo, de ingressu Hungarorum in Pannioniam, statuendum esset, seculis plus quam duobus aberravit. Allapsi enim in Pannioniam sunt Hungari a. 888. at secundum annales THVROCZII a. 744. Verum chronologicas apud scriptores istos rationes, homines non malos, rudi tamen arte enarrantes, quaæ avorum memoria gesta cognoverunt, frustra quæsiveris. Nolim ego quidem nostris suos *Capitaneorum*, ut vocant, ordines turbare, neque enim suo desituuntur præsidio (e). Plures tamen fuisse existimo, quibus Gyula nomen subinde adhæsit. THVROCZIVS ipse eum, quem Stephanus Rex, victum captumque, ex Transilvania deportavit in Hungariam, tertium fuisse adserit, a Gyula majori, Date ex prioribus sèpem. Idem juniores istum, Stephani avunculum fuisse, tradit (f).

E 3

cujus-

(d) THVROCL. *Chren. Hung. parte II. cap. 5.*

(e) CONSTANT. de Administr. imp. cap. XXXVIII. pag. 107. de Hungaris. Erantque gentes eorum, inquir. septem, & Principem vel indigenam, vel alienigenam, habuerunt namquam: sed erant inter ipsos BOEBODI quidam, quorum primus is est.

(f) THVROCL. *Chren. Hung. parte II. cap. 5. conf. cap. 24.*

cujusdam inter Hungaros suisse, testatur. Τὸ μὲν καλὴ εἰν ὄνομα
κύριον, τὸ δὲ καρχᾶς εἶν αὐξίωμα. ὥσπερ καὶ τὸ γυλᾶς, ὃ εἰν μεῖζον τοῦ καρχᾶ.
Est autem kale, inquit, nomen proprium, sed karchas est dignitas,
quemadmodum Ἐ Gylas, que tamen major est, quam karchæ (g).
Et in præcedentibus scripierat, Habent autem primum ducem exer-
citus, Principem, ex prosapia Arpadis, Ἐ duo alios, Gylam Ἐ kar-
cham, qui judicium vicem obtinunt (οἵ τε εὗσται λάξιν καθίσ). Pergit ve-
ro, Et habet unaquæque gens peculiarem principem, suntque Gylas
Ἐ karchan, non nomina propria, sed dignitates. (15^{ον}, 6^η. ὁ γυ-
λᾶς καὶ ὁ καρχᾶν ὅντε εἰν ὄνοματα κύρια, αλλὰ αὐξίωματα (h). Fater-
or, nihil me invenire, quo Constantini sententia, quasi Gylas &
Karchas, vel Karchan, appellativa, eaque dignitatum, apud Hunga-
ros sint nomina, commode explicari ac defendi possit. Verba
tamen adscribere non piguit, ut alii, si quid habuerint, ad profe-
rendum invitarentur.

CAPVT IV.

ECCLESIAE ORIENTALIS
ministerio religionem Christianam inter Hungaros
primum plantatam esse evincitur.

§. 41.

Hoc capite ecclesiæ orientalis in Hungaros merita ad eum
locum, de quo detrusa sunt, restituere, eaque ab iner-
ti oblivione, quæ animum ingratum comitem trahit,
vindicare, est animus. Eadem opera præcelen-
tes Regum Hungariae, in ordinandis ecclesiæ rebus, prærogati-
vas delibabimus, quarum hodienum usque rudera quadam supe-
rant, sed olim prorsus erant eximiae. Quanquam vero, quæ su-
periore

(g) CONSTANTINVS De Administr. imp. cap. XL. pag. 110.

(h) IDEM ibidem cap. eodem.

periore capite differebamus, Græcorum, in convertendis ad Chri- SS. Græco-
stum Hungaros, fidelia officia satis loquantur, quia tamen suorum rum, quo-
tantummodo scriptorum testimonio nituntur, de illis amplius dis-
quirendum est. Testes quidem ita comparatos primo omnium
evincendum, ut eorum fides jure sollicitari nequeat. Ac rei ge-
stæ, tametsi non interfuerint, justo longius tamen non distabant,
elari circa finem seculi XI. initiumque seculi XII. Deinde, quod
scriptores istos inter se conferentibus continuo patebit, unum om-
nes monumentum vetus, rebusque descriptis aquale, in annales
suos transtulere; iisdem namque sententiis, imo iisdem fere ver-
bis, utuntur⁽ⁱ⁾. Et mihi quidem ZONARAS auctorem primum
simpliciter secutus, CEDRENVS & CVROPALATES nomen Francorum,
vel potius Germaniæ, Regis, sub quo Bulchu Dux supplicium sub-
iit, ex sua quiske opinione suppliciæ videntur. Quo factum
est, ut CEDRENVS, privatus & monachus, veterum codicum lectio-
ni ita unice adfixus, ut in recentiorum temporum gestis hospes es-
set, snavem illum erraret errorem, Johannem dicens, quem Ottone-
rem vocare debuisset. At SCYLITZES, in luce hominum agens,
Europalatis honore, in aula imperatoria, defunctus, unde & ap-
pellatio ei adhæsit, non æque ignorare poterat, quæ vel suo, vel
non multo ante decurso, tempore acta fuerunt. Hujusque mo-
numenti auctorem, quem tres illos trivisse affirmavimus, circa
Constantini tempora vixisse, dubitare nos non sinunt, tam Ducum
in urbe Constantini baptizatorum, quam adducti ad Hungaros
Hierothœ Episcopi, nomina; quæ certe, sine literarum præsidio,
seculi, & quod excurrit, ætatem, haud tulissent. Si vero tule-
runt,

(i) Existimant multi CEDRENVM, SCYLITZEM & ZONARAM alterum di-
cta alterius, bona fide, descripsisse. Verum, an ejusdem homines
ætatis, sine turpissima plagi nota, uno eodemque in loco ac pæne
tempore, id facere potuerint, aut, famæ suæ prorsus securi, id
facere sustinuerint, non facile mihi persuaderim. Quid enim
obstar, quo minus omnes, ex unis sua hauserint fontibus? unde
illa in narrando similitudo, aliqua tamen etiam, inque plurimis
exstantior, dissimilitudo. Exemplo sit noster hic locus.

runt, rem divulgam, inque publicum omnibus nota, quæ nec seculi spatio in animis hominum obliterari potuit, fuisse necesse est.

Partium stu-
dio nihil in-
dulserunt.

Contra La-
tini.

§. 42. Quam vero a fingendo, utilique fraude excudenda, scriptores nostri alieni fuerunt, vacuus ille ab omni partium studio animus, & summa narrationis simplicitas, argumento est. Nullum illos in Hungaros meritum vendicare, nullo verborum ambitu officia sua prædicare, nullum in universum, vel præiens comodum, vel jus quoddam in futurum, aucupari videoas. Secus Latini, qui, quoties Hungaros sua cura studioque Christo lucratos narrant, lucrum simul, quod fecerunt ipsi, adnectunt. Et Pilgrimus in sua suorumque opera celebranda paulo videtur esse effusior: forte ut Metropolitani honores, quos ab AEppo Iuvaviensi sedi suæ molestius ferebat interceptos, facilius a Pontifice impetraret; cuius rei causa ipsi supplicabat. Gregorius autem Pontifex VII. totum postea regnum Hungariae, pro munere, sibi vindicare, non erubuit; cuius literas suo loco perstringemus. Quid dicam de Silvestri Papa II. diplomate, misso, ceu recentiores quidam volunt, ad Stephanum; quo quamvis omnia apostolicis S. Regis laboribus adseribit, regno tamen miris verborum griffis infidias struit, dum ultro oblatum accipit, danti magnifice reddit, atque iterum reposcit, Regemque, una cum successoribus, curia Romanæ subdit. Quid denique BARONIVM, INCHOERVM, alios, commemorem, qui id si bi negotii solum datum esse crediderunt, ut non animas Hungarorum, sed regnum & opes, universasque eorum fortunas, in Petri pescatoris sagenam cogerent. Quibus quis non indignetur? liberrimam gentem, ob amplexam Christi doctrinam, quæ multo magis homines in libertatem reponit, sub triste servitutis onus deprimere? Lenissime ex diplomate Silvestri & Gregorii literis respondent, ecclesiam Romanam subjectos non habere ut servos, sed ut filios suscipere. Sed mittant officiosa verba fundere, quando in Hildebrandi Hildebrandinorumque actis nemo ita peregrinus est, ut blanditiarum istarum offucias suo æstimare pretio nesciret.

§. 43.

§. 43. Atque hæc dicta sunt, ut fidem Græcorum, quorum *Hierotheus* testimonii nitimus, in tuto collocaremus. Erit igitur primus Hun- primus garia Episcopus *Hierotheus*, Hungaros ab ecclesia Græca datus, hoc Hung. Ep- minus nostris pœnitendus, quo excellentior ejus est laus, dum vir scopus CPo- pietate celebris audit. A vero non abudit, plures cum ipso sacer- li missus, dotes CPoli in Hungariam exmisso: crescente saltem credentium in Christum numero, plures ab *Hierotheo* inaugurari oportuit, qui sacris tractandis, iisque plus ultra propagandis, sufficerent. Si quis conjecturæ locus, a Slavis fidelibus, Græcorum, quod supra ob- servavimus, & ecclesiastica gentis historia testatur, ritu initiatis, sa- cerdotes illos potissimum adscitos, existimo. Hinc enim arces- sendum, quod *TIMON* prodit, plura Vngaros vocabula, quibus res quasdam sacras efferunt, a Slavis mutuatos esse (k). Annales *Adalbertus* Hungarorum, S. *Adalbertum*, e Bohemia in Hungariam profectum, altero loco ut illic Christum adnuntiaret, quo tempore Stephanus natus fuit reponen- Geysæ, primum Hungarorum fuisse apostolum, volunt. Satis vero dus. jam ex dictis liquet, posteriorem *Hierotheo* accessisse, altero igitur loco reponendus. Et venisse in Hungariam *Adalbertum*, cum jam religio Christiana a Principe & parte populi admissa esset, hæc CROMERI testimonio esse possunt, *Ibique annum & amplius*, inquit, commoratus, Adalbertus nempe in Hungaria, Geysa principe cum uxore faventibus, Vngaros, religione Christiana, non ita pridem, nec universè adhuc, suscepta, per interpretem accuratius imbut (1). Paulo aliter *HAGECIVS*, nostram tamen & is ad mentem, Aber der Bischof hatte Nachrichtung, daß der König in Un- gern von dem christlichen Glauben etwas abgewichen war, eilet derwegen zu ihm, und kam aus der Erabatischen Mo- druscha des dritten Tages in die Ungerische, und von dannen gen Ostrzehoma oder Gran in Hungern, allda fand er den König und predigte für ihn das Wort Gottes, in der Lateinischen Sprache, und unterrichtete ihn im christlichen Glauben

F

(k) *TIMON in Imag. Hung. ant. lib. III. cap. VI. pag. 368.*

(1) *CROMERVS De origine & rebus gestis Polonov. lib. III. in Boleslao I. confer DLVGOSVM Hisp. Polon. lib. II. ad a. 994.*

Glauben (m). Probo interea sententiam TIMONIS, qui *Adalbertum Hungarum*, & sigillatim Geysæ, primam operam navasse, Stephanumque filium baptizatum ab eo esse, statuit, antequam Praegenium insula fuisset insignitus; eum tamen aliquando Praga in Hungariam iterum excurrisse (n). Neque audiendus INCHOFER, primum ejus adventum ad annum denum 989. referens (o); constans enim Hungarorum traditio, qualemcumque ob difficultatem, convellenda non est.

§. 44. Fide igitur Byzantinorum scriptorum adserita, quin Hungari Transsilvaniz sacerdotum Græcorum ministerio, Gyulæ Ducis providentia, Christianam doctrinam amplexi sint, dubium relinquitur nullum. Sed superant, cum alibi, tum in antiquis veterum Hungariae Regum decretis, morum, disciplinæ ac rituum Græcorum vestigia expressissima, ex quibus sententiaz nostræ, qua Hungaros quoque Hungariae, iisdem Græcis ac Gyula Duce auctoribus, per nuptias Saroltæ, deum christiane colere doctos esse, adstruximus, lumen & firmamentum accedit eximium. Prius vero quam Regum decreta excutiamus, luculentum quoddam græci moris vestigium, in *diadema regni*, paulo adtentiore mente intueamur. Diadema illud, aut si mavis corona, qua Reges Hungariae, quoad longissime respicere, eorumque memoriam recordari ultimani licet, longo omnes ordine insigniti fuerunt, adeo ut legitimus Rex non haberetur, nisi cuius augustum caput sacrum hoc pondus pressit, græcæ esse consuetudinis, affirmare nulli dubitamus. Formam namque ejus si spectes, ex clausarum, ut vocant, coronarum numero est, quales ante tria abhinc secula Europæ Regibus coronæ in usu non fuerunt. Soli Imperatores clausas hujus generis coronas proprias sibi vindicabant: ceteri vero Reges diadematis, ex aureo circulo conflatis, ex quo pinna quædam ornatorum, vertice tamen aperto, efflorescebant, usi

(m) HAGECVS in der Böhmischem Chronic ad a. 990.

(n) TIMON in Imag. Hung. ant. lib. III. cap. VII. p. 400. sq.

(o) INCHOFER in Annal. eccl. regni Hung. ad a. 989. pag. 230.

Morum, discipline, ac rituum Græcorum apud Hung. vestigia.

Corona regni
formæ & operis græci.

usi sunt (p). Græcorum præcipue morem referunt catenulae aureæ octo, in totidem gemmas desinentes, & ad utrumque, juxta aures, latus, hinc quatuor, illinc quatuor, dependentes, nona insuper in tergum defluente. Maximo autem argumento, ad græcos corona Hungaricæ natales adtribuendum, nobis est, quod Illustriss. Comes PETRVS de REWA, sacri illius cimelii Conservator quondam Duumvir, qui eam intentis oculis adipexit sollicitaque descripsit, præter Salvatoris mundi, Beatis. virginis Mariæ & SS. apostolorum, Constantini præterea M. aliorumque Græcorum Imp. imagines in ea extare, &, quod caput rei est, literis græcis notatas esse, prodidit (q).

§. 45. Tanta hæc Illustriss. Comiti de Rewa visa sunt, ut & Suffragium ipse sacri diadematis originem ad Græcos referret. Scribit enim Comitis de crucis signo, a Constantino M. viso, *Quo deinceps Ἐ in præliis, de Rewa.* pro vexillo, utebatur, cum duabus græcis literis, Christum denotantibus; quo more in corona quoque nostra, ad imaginem salvatoris, expressas videmus. Et pergit, *Quid, quod in inferiori corone circumferentia, imaginem suam Constantinus, cum quibusdam Imp. Græcis, insculpi fecit cet.* Videtur autem græci artificii esse nostra corona, non tantum ex dictis imaginibus Ἐ literis, sed Ἐ appensis catenulis, que iisdem locis, in iconibus Græcorum Imp. deprehenduntur cet. (r). Ex quibus verbis, quid de corona Hungarica Comes de REWA, testis ipse oculatus, senserit, abunde colligas. Estque testimonium hoc Rewaianum tanto estimandum validius, quo minus ulla in auctorem suspicio cadit, ac si opprobrio cuiusquam aliquid comminisci voluisse. Vulgatam enim opinionem historicorum, qui Reges Hungariæ diadema a Pont. Rom. accepisse credunt & scribunt, sine ullo scrupulo sequitur, ac plurima operose commenta-

F 2 tur,

(p) SCHMEIZEL de Coronis, tam antiquis quam modernis, iisque regiis, sect. II. cap. 2. artic. 2. pag. 164. sqq.

(q) PETRVS DE REWA De Monarchia & sacra corona regni Hung. Cent. VII. pag. 141. sqq. Conf. SCHMEIZEL loc. cit. Disc. pec. de corona Hung.

(r) DE REWA loc. cit. pag. 142.

44 Ecclesiæ orient. ministerio relig. Christ.

tur, ostensurus, qui factum sit, ut græci artificii ingeniique opus illud aureum Hungaria Regibus Roma a Pontifice fuerit transmissum. Cenfet igitur, diadema nostrum idem illud esse, quod Constantinus M. Imp. Silvestro I. P. R. donavit, quodve ad hoc usque tempus in thesauris Pontificiis latuit. Ejusque sententia PLATINAM sibi auctorem fuisse memorat. *Dum, inquit, diligentius illustria quedam signa antiquitatis illius colluſtrarem, & preferim, quid sibi vellenti literæ græcæ, cum imagine & nomine Constantini --- contemplarer, occurrebat mibi in celebri historico Platina, in vita Silvestri Pontificis, insignis locus cet.* (s)

Origo ejus
frustra a
Const. M. &
ex thesauris
Pontificiis,
derivatur,

§. 46. Sed nihil, quæ diffuse a REWA dicuntur, probant amplius, quam quod corona nostra non Romanum, sed græcum artificium referat: donum vero Constantini M. esse, datum Papæ Silvestro, prorsus non probant. Quin nulla penitus vera defendi ratione Illustrissimi Comitis conjectura potest. Momentosam ipsem et sibi format objectionem, *A quo paſto, inquit, inter tot secula ac discrimina, inter gazas & theſauros Pontificum Rom. latuſſet, donec D. Stephano conſerretur, id ſane non vulgare divinæ providentiae teſtimoniuſ eſt* (t). Sed hoc nihil eſt; non enim, niſi re prius demonstrata, ad divinam providentiam confugiendum erat. Deinde ex PLATINÆ verbis nullo modo colligi potest, diadema, quod Constantinus M. non Silvestro ſoli, ſed pontificibus eccleſiarum promiſue, contulit, vere regium tamque fuisse ſumptuosum. Auguſtæ certe illius formæ, cuius eſt noſtrum, haud fuit. Non dum enim Constantini M. temporibus corona imperatoria habitum iſtum induerant, ad quem, ſuccedente denum tempore, Imp. CPolitanū, in luxu & ſplendore omne decus imperatorum collocantes, eas extulerunt. Docent id numiſinata, aliaque veterum & recentiorum Imp. signa. Pugnat porro cum ſententia Comitis de REWA illud cumprimis, quod ipſe teſtatur, non Constantini M. tantum, ſed plurium etiam Imp. imagines in corona noſtrā eſſe effictas; quibus

(s) PLATINÆ locum legas licet in Vitis Pont. Rom. in Silvestro I.

(t) DE REWA loc. cit. pag. 143.

quibus quid in Christi, B. virginis Mariae & SS. apostolorum choro negotii est? Omnes enim, ad tempora usque Constantini, christianar religionis osores atque hostes erant acerrimi. Ac recentiorum vultus esse omnino, capitum ipsorum tegmina loquuntur, quæ, teste de REWA, corona clausæ sunt, a quarum utroque latere, non secessus ac in corona nostra, catenulas preciosas suspensas videre licet.

§. 47. Et vero, qui Stephanum diadema a Pontifice obtinuisse perhibent, Silvestri opus, quod Duci Polon. prius destinaverat, quam ad Stephanum, divino oraculo monitus, illud mitteret, uno omnes ore fuisse fatentur. Id ipsum charta Silvestri, quæ, una cum corona, ad Stephanum, si diis placet, fuit transmissa, nobis insinuat. Sic enim in ea Pontifex, *Oramus omnipotentem deum, inquit, - - - qui diadema, quod Duci Polonorun confectum per nos fuerat, Tibi dandum mandavit cet.* (u). Hic vero INCHOERVM, diplomatis pontificii auctorem, ejusque focios, diplomatis defensores, conclusos teneamus, ut se se, si possunt, expediant, nobisque dicant, cur Silvester, non Constantini M. tantum, sed & aliorum Imp. Græcorum imagines, in sui operis cimelio, elucere voluit? cur græcis eas literis insignivit? cur universam coronæ formam, contra occidentalium Regum morem, Græcorum æmulañ fixit? Respondeant Illustriss. Comiti de REWA, sine omni fuko, significanter eam in rem differenti, *Quod si Pontifex, inquit, sive fuerit ille Benedictus VII. sive Silvester II. dictum diadema fieri curasset, tum habuisset causam, propriez quam a characteribus lingue græcae, in opere proprio, abhorret. Gentem enim græcam, imo terram ac linguam ipsorum, ob schisma & divertium, a Romana religione factum, graviter oderat, eo magis, quod roties per Pontifices tentata concordia, nullo pacto ad conformitatem fidei reduci poterant. Quin potius Pontifex, velut opus suum, literis latinis atque nominibus Romanis imaginibusque exprimasset, quo & beneficium donumque, potestati Romane & genti conforme, illustrius fuisset. Presertim cum Romani, insita ambitione & gloria, templa, columnas cet. Et quid magis, ad probandam rei veritatem, evidens, quam communis rerum discretio, per notas, vel pos-*

Silvestri
P. R. opus
esse, absurd
adseritur.

F 3 sefforis

(u) INCHOER in Annal. eccl. regni Hung. ad a. 1000. pag. 257.

46 Ecclesiae orient. ministerio relig. Christ.

cessoris, vel auctoris, proprias; siquidem hic & imago Constantini est, & insigne ejusdem crux invenitur. Quod si inventionis & operis Pontificis corona esset, tum, sine dubio, Pontificium insigne, corpori suo impressum, firmiter ostentaret, ut monumentum tam excellens auctori suo, sine hesitatione, adscriberetur. Tales tamen pontificia dignitatis note in corona nusquam visuntur: sicut eas in pomo, adjuncto corone clenodio, ab una parte, ab altera vero insigne regni Hung. inventire licet. Quod si itaque utrumque, corona & pomo, uni & eidem auctori imputetur, tum nullum est dubium, quin in nobiliore opere, maiestatem Regibus conferente, Pontifex suum insigne exprimi curasset (x).

§. 48. Hic murus aheneus esto, quem BARONIVS, INCHOFER, omnesque sui similes, regnum Hungariae pro auri pondere mercantes, Regesque ipsos in curia Romanæ servitutem addicentes, arietare tentent, tentent inquam. Sed Stephanum ajunt seque suosque successores, simul cum regno, in clientelam Pontificis commendasse. Sed est his quoque infidianum araneorum telis

Auctoris de corona illius originis, conjectura. peniculus a nobis paratus. Quærat autem quis. Vnde Hungarorum operis diadema illud? Si quid conjectura adlequi possumus, donum Imp. CPolianorum fuit, quod Hungaris, ob fidele quoddam officium, imperio Romano utile in primis, contulerunt. Solabant enim exteræ gentes, si quam egregiam Imperatoribus Græcorum operam navarunt, coronas quoque, inter cetera ab eis numerata, flagitare. Constantinus porphyrog. demum, id munera barbaris conferre indignum ratus, filio Romano lepidum suggestit consilium, quo preces flagitantium eluderet. Si quando, inquit, sive Chazari, sive Turci (y), sive Russi, sive aliae quæpiam boreales & Scythicae gentes, ut plerunque accidit, imperiales vestes, coronas, (cæpimata) aui stolas, cuiusdam præbiti ministerii causa, sibi transmitti, posseulent, ita te excusatum oportet: Hujusmodi stola & corona, quæ nos camelauicia vocamus, neque hominum opera confecta, neque humana

(x) DE REWA loc. cit. pag. 142.

(y) Turci, id est Hungari; id quod conjunctio cum vicinis Chazaris, b. realibusque gentibus aliis, ostendit.

humana industria excogitata sunt. Sed, ut ab historia veteri, in libris arcanis, scriptum reperimus, quando deus Constantiū illum M. Imp. effecit, qui primus Christianorū imperium tenuit, illi per angelum tales stolas & coronas, quas nos camelauclia vocamus, misit, iustitque ea deponere in magna sancti dei ecclesia, quæ, de nomine sapientiæ dei enypostatae, sancta sophia appellatur cet. Paucisque interjectis, Quid etiam, inquit, sancti & magni Conflantini, in dei ecclesie sacra mensa, maledictio scripta est, ut ipsi per angelum deus mandavit, ut si quis Imperator, pro quacunque necessitate cet. (z). Notta, quod dicit, Illi per angelum tales stolas & coronas misit. Vide Vnde angelica dicta?

enim, an non ex sparsō hoc rumore enata apud Hungaros est opinio, ut coronam suam, CPoli adlatam, angelicam dicerent, sacram que colerent? Quando autem, a quo & cui, an non Bulosudi aut Gyle, in reliquis donis, quibus CPoli baptizatos Imperator donavit, hæc corona data fuit? conjecturas ex conjecturis exculpere nolumus.

§. 49. Aliud græci moris exemplum erux Hungarica, cum Crux Hungarica Græcorum quoque conseruandina. duplici transversario stipite, quæ Regum nostrorum inflige est, eis- que in coronationum solemnibus hodie antefertur (a), nobis sup- peditat. Crucem enim Imperatoribus Græcis maxime semper charam fuisse, ac sceptri loco ab eis gestari solitam (b), non ignorantia historiæ Byzantinæ curiosi. De Justiniano hinc Perill. Dn. de LVDEVVIG, sequitur, inquit, Justiniano M. tantum non propria di- vae crucis imago, relata passim in illius nummis cet. (c). Pari consuetudine Hungariæ Reges nummos suos cruce signabant. Vidi nummulos argenteos Stephani, Andreæ, Belæ, Ladislai, geminæ crucis imagine notatos, quos Stephani Sancti seculum adtingere, variis haud difficiliter probari posset rationibus. Cumque recentiore ævo nummi Hungarici crucem, parvæ insertam, repræsentent, antiquitus, in argenteis, totam aversam faciem crux una & sola

(z) CONSTANT. PORPHYROG. De Administr. imp. Cap. XIII. pag. 63.

(a) PETRVS DE REWA de Monarchia S. corona regni Hung. pag. 149.

(b) vid. IAC. GRETSEVR de Cruce Christi Tomo I. Lib. II. cap. LV.

(c) de LVDEVWIG in Vita Justiniani M. pag. 63.

sola occupabat. Quid de nummis Byzantinis CAROLVS DV FRESNE promiscue? Jam vero, inquit, Imperatorum Byzantinorum pietatis, si qua fuit - - - argumentum præcipuum fuit, quod crucem, vel Christi monogramma, nummis suis crebro adscriberent, Christi etiam ipsius, interdum & deiparæ, atque adeo Sanctorum, imagines effingi curarent (d). Nec est, quod in Justiniani & antiquiorum Imperatorum Grecorum nummis crux tantummodo simplex comparet; certum enim & exploratum est, commutatam eam a recentioribus cum duplice, hancque seculo X. magis jam fuisse frequentatam. Dignus præcipue spectatu, quem Johannis inter Zemissæ nummos protulit CAR. DV FRESNE (e), in quo aream averam crux duplex sola, perinde ac in argenteis Hungaricis, implet, super ramo tamen excitata florido. Quare cum corona Hungariae ad morem Imperatorum orientis indubitate accedat, quo minus crucis quoque insigne ex eodem fonte deriveamus, quid vetat? Nam quod a Pontifice Romano insigne illud iterum plerique omnes repeatant, causam dicere rogati, non magis hanc, quam priorem, de corona, sententiam tueri possunt. INCHOFER diploma Silvestri Papæ II. adserit: alii ad Legendæ CHARTVITII auctoritatem confugunt: alii denique dubiam famam allegant, quam Apostolici Regis cognomine, quod Stephano ejusque successoribus ex privilegio Pontificio adhæserit, stabiliri putant. At nos, Apostolici Regis cognomen privata originis, toto, post regium S. Stephani auspicium, seculo penitus ignotum, diploma autem Silvestri spuriū esse & suppositum, Legendarium denique CHARTVIFIVM fidei nullius scriptorem, evidentibus argumentis evincemus.

Fundamenta eorum,
qui crucis
istud insigne
a P. R. repe-
runt, subver-
tuntur.

Fundamen-
tum pri-
mum, exapo-
stolici Regis
cognomine,

§. 50. Ac primum, qui Apostolici Regis axioma, inde a primordio initi Christiano ritu regni, Stephano, & successoribus ejus, collatum a Pont. Rom. ferunt, eamque ob causam potestatem illis factam, duplē ante se crucem, apostolatus insigne, præfendi, doceant, quælo, nos, cur Stephanus nec in diplomatis, nec in

(d) DV FRESNE in *Dissert. de Imperator. Constantinopolitanorum numisma-
tibus* §. 23.

(e) DV FRESNE de *Familias Augustis Byzantinis* pag. 152.

in decretis suis, ambitum illum denominandi adhibuit? Si praemodestia ipse adhibere noluit, in successorum tamen Regum decretis, *S. Ladislai, Colomanni, Andreae II.* quare nullo unquam alio, quam vel beati, vel sancti, cognomine insignitur? Si ad successores quoque nominis illius honos pertinebat, cur posteri Reges, cum variis titulis ornarentur, *Apostolici* tamen Reges nunquam leguntur salutati? *Ladislau*, in *inscriptione libri I. decretorum suorum, Christianissimus*, in *inscriptione II. Piissimus*, capite 37. lib. I. modo *Venerabilis*, modo *Christianissimus*, sed nusquam *Rex Apostolicus*, audit. Sic etiam *Christianissimum* vocat *Colemannum*, qui præfationem ad *librum I. decretorum* ejus scriptit, auctor incertus. Atque hic ipse anonymous, toto post Stephanum seculo, illum non quidem Regem, sed virum *Apostolicum*, primus vocasse invenitur. An vero ex privilegio aliquo? Imo vero totus orationis contextus ostendit, auctorem, eadem stili libertate, qua *Christianissimum* dixit *Colemannum*, ejus in rem *Christianam* studium respiciens, Stephanum quoque dixisse virum apostolicum, cum S. hujus Regis summa in religionem *Christianam*, apud gentem suam, merita consideraret. Quam ob rem, licet optimo iure *Apostolici Regis* titulus Stephano conveniat, ex his tamen, quæ hactenus disputavimus, plus satis efficitur, illo ipsum non publico, sed privato, insituto, neque insigniri prius coepisse, quam cum gens *Hungarica*, in religione *Christianam* confirmata, maxima Regis opt. beneficia in dies magis agnosceret, & quibus poterat encomiis gratam mentem declarare laboraret. Stephanus quoque successores, inclitos *Hungariae Reges*, quis Reges *Apostolicos* digne vocari neget? cum in omnia jura, quæ Stephanus, ob propagatam stabilitamque, suis unice auspiciis, religionem in regno *Christianam*, sibi suisque acquisivit, rite successerint. A Romanis tamen Pontificibus eo ipsos titulo decorari, haud facile invenies: luculento indicio, Pontifices Regibus nostris titulum istum adeo non contulisse, ut etiam invideant. Sed & Reges Hung. jura, quæ, in ordinandis ecclesiæ rebus, ipsis per Stephanum contigerunt, regia ab omni tempore potestate exercere, quam adscititio apostolici munera cognomine velare, maluerunt. Hinc est, quod

G

nun-

nunquam foris, sed neque domi temere, titulo illo usi legantur, aut etiamnum uti soleant; quamvis devotas civium acclamaciones faciles accipiant. Quid igitur ex Apostolici Regis cognomine praefidii illis accedit, qui duplicatam crueem Hungariæ Regibus a Pontifice concessam putant? quando ne ipsum quidem tueri cognomen possunt. Non nescio WERBOCZIVM, de Stephano, scripsisse, *Vnde etiam Rex & Apôstolus dici meruit, eo quod vices apostolorum in terris, prædicatione & bonorum operum atque exemplorum exhibitione, gessit. Et propterea duas quoque cruces, per collationem summi Pontificis, in signum sue sanctitatis, quod sc. Rex & Apôstolus justè diceretur, digne meruit habere, pro armorum insignibus* (f). Vnde vero ista WERBOCZIVS? partim ex vulgi fama, qua sua aetate erat credulitate in primis infecta, partim ex Legenda S. Stephani, qua cuiusmodi sit, paulo post cognoscemus. Quare, cum in quaestione facti, non juris, verilemur, frustra nobis Tribonianii illius auctoritas opponitur, apud quem plura alia, cum rebus gestis haud concilianda, existare, doctis est exploratum.

Fundamen-tum secun-dum, ex di-plomaticis Silvestri II. literis; qua-rum argu-mentum ex-hibetur.

§. 51. Objiciuntur vero nobis, tanquam Medusæ caput, diplomaticæ Silvestri II. P. R. literæ, quibus Stephano, Ducus inter filios titulo hæc tenus insigni, regius honos & nomen confertur, eamque in rem regale quoque diadema Roma ad eundem mittitur. Quod quideam diadema Duci Polonorum Pontifex paraverat, sed, divino oraculo monitus, Stephani legatis in Hungariam deferendum tradidit, Polono repulsam ferente. Regem porro & successores illius inusitata hæc prærogativa Pontifex donat, crucem ante se, apostolatus insigne, ferendi. Strigoniensem hinc metropolian ceterosque episcopatus ratos habet. Deinde regnum, sub protectionem S. Romanæ ecclesiæ accipit, idque Regi & successoribus possidendum ac regendum liberalissime tradit. Denique tam Stephano, quam successoribus legitimis, sua ac succedentium Pontificum vice, ecclesiæ regni, præsentes & futuras, disponendi atque ordinandi potestatem confert. Atque hæc omnia, ob pietatem & reverentiam erga sedem apostolicam, ob liberalitatem, qua b. Petro regnum cunctaque sua

(f) WERBOCZ. *Trip. Op. juris consuetudinarii regni Hung. P. II. tit. u.*

sua seque ipsum Stephanus obtulit, & ob munus apostolicum, quod ipse Rex, Christum praedicando, ejusque fidei propagando, Pontificisque & sacerdotii vices supplendo, gesit. Ea tamen lege ac conditione, ut, postquam Reges per optimates legitime electi, atque a sede apostolica approbati fuerint, Pontifici Rom. teneantur, vel per se, vel per legatos, debitam obedientiam ac reverentiam exhibere, seque S. Rom. ecclesie subditos esse, ostendere. Ita diplomatis summa est (g), quam paulo fuisus oculis subjicere nobis visum, ut distinctius pateret, quid Regibus Hung. Pontificem contulisse, quibus causis ad exercendam tam profusam liberalitatem inductum esse, quid denique lucri a Regibus Hung. Pontifices vicissim abstulisse, curiae sua administrari jacent.

§. 52. Jactant sane, an vero probant? Nempe diplomaticis Exquisitiōri literas ostentant. Ipsiāmne, amabo, tabulam, Pontificis manu exaratam confirmatamque? Imo aliam, hic illuc a diversis, ne testium quare subnumerum requiras, superioribus seculis descriptam, ac veluti lam-pada per varios traditam, ceu INCHOFER fatur, elegantiarum ampullas callide projiciens. Quin lampadē illam, an non ignis fatuus sit, proprius intueamur. Digna profecto res est, quam prefiori examini subjiciamus. Videas enim scripturientes paſſim ad chartam hanc Silvestri audacter provocare, minutisque libellis ea civium animos opinione studioſe occupare. Ac licet nihil apud doctos aliud consequantur, quam ut exemplo iſto commonſtrent, qua ratione complures alia fabula antiquitus, cum heri ac nudius tertius enat̄ effent, superstitione, qua regnabat, obstetricante, cordatisque filere jussis, verarum progreſſu temporis historiarum habitum induerint; tamen cum pauci quippe docti ac perspicaces, potior vero pars rerum imperita, & ad judicandum, quod res est,

G 2

tarda,

(g) Vide INCHOFERVM in *Annal. eccl. regni Hung. ad a. 1000. p. 256. sqq.* ubi diploma illud ad verbum exhibet. Conf. MICH. BONARDI in *To-pographia magni regni Hung. parte I. sig. II. §. 2. pag. 37.* Novissime autem non insimi ſabellii scriptor quidam Gallus illud inferuit Tomo I. operis sui, cui titulum fecit, *Histoire des Révolutions de Hongrie cet. pag. n. sqq.*

tarda, ut hi Regum suorum majestatem melius estimare ac revereri norint, bonis quibusque civibus entendendum est. Ecquid enim augusta DD. Hungaria Regum gloria indignius, quam extraneorum, nullo in ipsos merito insignium, eos subditos profiteri, potestatemque, quam exercent, non nisi vicariam fiduciariamque credere? Sint umbraticorum hominum vana hæc somnia tantum, nihilque majestati, quam intemeratam Hung. Reges hactenus semper tenuerunt, officiant; tamen cum publice referantur, scribantur, ac de industria propagentur, refundenda fastosorum scriptorum audacia est: sicut ut rebus gestis sua conservetur integritas, vera a fallis, sincera ab adulterinis, genuina a supposititiis probe secernenda sunt.

Spuriæ et
suppositiciæ
esse, ostendi-
tur.

§. 53. Nemo, quod constet, diploma illud Pontificis, priusquam ab INCHOERO publici juris & lucis factum esset, sexcentis supra quadraginta annis, legit, nemo vidit, nemo usquam existere perhibuit. CHARTVITIVS quidem, dignum suis encomiastis nomen, apostolicae benedictionis literarum, Roma a legatis Stephanii delatarum, mentionem facit, verum tamen nomen Pontificis, a quo scripta missa que in Hungariam fuit prodere ausus non est. Unde arguimus, neque ipsi literas illas vias ac lectas esse. Post CHARTVITIVM scriptores alii omnes, usque ad BARONIVM, non Silvestrum, sed alium atque alium laudant Pontificem, a quo diadema Stephanus sit consecutus. Nemo igitur istorum diploma illud, quod Silvestri nomen præ se fert, viderit ac legerit oportet. Estque opera pretium audire, unde illud habeat INCHOER. Communicatum secum adserit a Fr. RAPH. LEVVACOVVITZ, quod ille ex ATHANASII GEORGIER chartis transcriptis, at GEORGIER, veluti lampada per varios traditum, ubi tandem nactus sit, INCHOER non dicit. Primus tamen omnium, in archivo Tragurienſis ecclesiæ repertum, in adversaria manu illud sua descripsisse fertur ANT. VERANTIVS, post AEписcopus Strigoniensis (h). Quasi vero in archivo quomodounque repertum sufficiat, & non multo plura expedienda fuerint, ut scripturam authenticam esse doceretur. At neque

(h) De Verantio vid. BELII Notitia Hung. nova Tomo I. pag. 487 & T. III.
pag. 327.

neque illud, quod in archivio Traguriensi inventum adseritur, aliquo numero habendum est. Laqueum ipse sibi INCHOFER induit, affirmans, a VERANTIO descriptum, non ex tabulario ablatum esse. Et certe, si ablatum esset, tam pulchre in tabularium ingeri potuisset, quam ablatum fuit; quo ad tabularii fidem immixtum nihil esset opportunius. E tabulario autem quoniam ablatum non est, dicam diplomatis patroni eludere nequeunt, quam doctissimus solertissimusque monumentorum veterum indagator, IOH. LVCIVS, non sine acerbo aculeo, INCHOFERO impedit. De patria namque Hieronymi, contra INCHOFERAM, disputans LVCIVS, perperamque ab eo allegatum Hieronymum observans, alterum mox falsum hoc, quamvis ab arguento, quod tractabat, alienum prorsus, subjicit, eo haud dubie animo, ut, qua INCHOFERE, vetusta monumenta allegantis, consuetudo sit, palam faceret. Ita vero LVCIVS, Vnde verba Hieronymi, inquit, in Habacuc, sumserit Inchofer, cum non reperiatur inter ejus opera, compertum non habeo. Compertum mihi tamen & notissimum est, illam, quam ipse refert, Silvestri PP. epissolam, anno 1000. Stephano Duci Vng. scriptam, in archivio Traguriensi ecclesie non reperi; cum diligentissime a me recentrum fuerit, neque in eo ullam antiquiorem scripturam, a. 1185. repperim (i). Sane nulla plane adeat ratio, cur in tabulario potius Traguriensi, quam in archivis Hungariæ, prostiterit. Frontem Bonbardæ hic in MICHAELI BONBARDI, Soc. Jesu, Topographia magni regni proacitas Hung. auctore, requiras, qui, quod INCHOFER in paucorum manibus esset, diploma illud plurium ad usum accommodaturus, prostituta fide, orbi imponere non erubuit, testatus, exemplar ejus originale, penes sacrum regni diadema hodie adservari, (k). An enim suppelleculeni regiam homo scrutatus & contemplatus est? de cuius arcta custodia vide, amabo, Illustriss. Comitem de REVVA (l). Scrutatus est, accurateque spectataam sigillatim omnem de-

G 3

linea

(i) IOH. LVCIVS De regno Dalmatiae & Croatiae pag. 459.

(k) BONBARDI Topogr. magni regni Hung. loco ad §. 51. allegato.

(l) PETRVS de REVVA. de Monarchia & S. corona regni Hung. p. 140.
§ 151.

lineavit ipse Illustriss. Comes, diplomaticas vero ille literas nullas invenit, nullas hinc commemoravit, Silvestri Pontificis nomen ex aliis scriptoribus & calculo temporum eruit (m); quo labore carere poterat, nisi chartam Pontificis ignorasset. Nec CAROLVS CARAFA, Pontificis ad Ferdinandum II. Imp. nuncius, cimelia regni, cum Ferdinandus III. Rex Hung. inauguraretur, contemplatus, diploma aliquod vidit; alioquin vulgi opinionem suffragio suo non confirmasset, coronam a Benedicto VII. Stephano missam, idque a. 960. cum Stephanus nondum in lucem editus esset, accidisse scribens (n). At procax BONBARDI fingere non definit. Recitato diplomate pergit, *Hoc idem, inquit, privilegium, tempore Sigismundi Imp. & Regis Hung. una cum aliis compluribus, confirmatum est, in generali ac celeberr. concilio Constantiensi, jurisque juriandi religione roboratum.* Quæ hæc scribendi licentia? Vbi pudor? Hoccine est historias scribere, an nenias præficarum, ne quid gravius dicam, componere? Quod si in hac literarum luce tantum audaces quidam sibi sumunt, quid non, sub barbariei illius nocte, Legendarios existimabimus patrasse. Etenim, libertates ecclesiæ Hungaricæ in concilio Constantiensi confirmatas, bene novimus (*): sed privilegium illud Pontificium in concilio prolatum ab eodemque confirmatum esse, ante BONBARDIVM nemo somniavit. Et vero, si VERANTIVS primus, ex Tragurino archivo, uti est apud INCHOFERVM, chartam in lucem protraxit, qui potuit sesqui seculo ante, in concilio Constantiensi, confirmari? Sed redeant boni illi viri per nos in gratiam licet.

Ad Timonis
rationes re
sponderur.

¶. 54. Quid hic TIMON? Nollem clarissimo in mentem venissem scriptori, chartæ tam dubiæ, tam suspectæ, manifestoque falsæ, patrocinium suscipere, solitumque in aliis ingenii judicandique acumen illud suum prodigere. Antea, inquit, animi pendebam & hæstibam, an epistola illa, quam primus Melch. Inchofer Annalibus suis inseruit, esset vere Silvestri II. P. M. Causa dubitationis erat,

(m) IDEM ibidem pag. 2.

(n) CARAFA Comment. de Germania sacra restaurata pag. 220.

(*) vid. VVERBOECZII, Trip. Juris confuetud. regni Hung. opus p. I. tit. u.

rat, quia in eo tabulario, in quo eam repositam esse indicavit, inventa non est (o). Ergo religio eorum, qui diplomatis literas primi protulerunt, LEVVACOVITZ & INCHOFER, impedire haud potuit vi-
rum cordatum, quo minus animi penderet hasitaretque: quis nobis igitur merito succenseat, scapham scapham dicentibus? Pergit
TIMON, Nunc ad rem comprobandum, ex scriptis eorum, qui etati D.
Stephani propiores fuerunt, accipio argumentum. Andreæ II. R.
Vng. illa sententia, quam supra posui (p), & iisdem indita literis,
Pontifex eum vocavit Apostolum gentis nostræ, cum sententia Silve-
stri mire coheret. Verum Silvester Regem in literis suis Aposto-
lum non vocat, apostolicum tantum munus eum geffisse, feribit.
Incertum itaque, utrum Rex ad literas Silvestrinas, an ad alterius
cujuscunque Pontificis dictum, respexerit, an, quod maxime
consonum, Legenda cuiusdam testimonium fecutus sit; siquidem
Pontificis nomen, perinde ac Legendarii, ignoravit. Postremo
TIMON ait, Chartuitius vero, in vita S. Stephani Regis, & episto-
le Roma adlatæ mentionem facit, & quibusdam dictis Silvestrinis ut-
titur. Dicta autem duorum virorum, temporum locorumque interval-
lo disjunctorum, casu & fortuito concurrere non poterant. Dicta
hec, quæ tam in Legenda CHARTVITII, quam in literis occurunt
Silvestrinis, sunt: ignotæ gentis, divina gratia docebit, crucem apo-
stolatus insigne, ecclesiæ vice nostra ordinandas. TIMONI id ultro
largimur, duorum virorum dicta, tam præcipue dubia, quale est
illud, ignotæ gentis, ita nimirum Hungaros Pontifex vocat, tem-
porum locorumque intervallo disjunctorum, casu & fortuito con-
currere non potuisse. Sed quando concludit, CHARTVITIVM for-
mulas istas e literis Silvestri haufisse, vitio, ut in scholis philoso-
phorum dicitur, petitionis principii argumentum laborat.
Sumit enim literas Silvestri Chartutio lectas, atque adeo
genuinas atque antiquas esse. Verum hoc illud est,
quod in questionem vocatur: & a TIMONE probari prius
debus-

(o) TIMON in Imag. Hung. ant. Lib III. cap. VIII. p. 407. sq.

(p) Vide superius dicta ad §. 14. unde apparet, verba Regis ad præ-
fensus argumentum nihil conferre.

56 Ecclesiae orient. ministerio relig. Christ.

debuisset, quam sumeretur. Sin id, quod petitur, non sumas, non minus literarum Silvestri editores primi, cum Legendam Chartuitii manibus versaverint, formulas illas ex Chartuio, quam Chartuitius ex literis Silvestri, deptomere potuerunt. Si Chartuitius ex Silvestrinis literis promisit, an, quislo, poterat nomen Pontificis, quod in fronte earum legitur, ignorare, ejusque, in Legenda sua, penitus dememiniisse? Imo ignorarunt scriptores omnes nomen Silvestri, antequam recentiores, in quibus familiam ducit BARONIVS, subducto temporum calculo, id exculpissent. Olim enim alii Bonifacium VII. alii Benedictum VII. alii Gregorium V. nominabant (q); a quo Stephanus diadema, augustisque, in ordinanda gentis ecclesia, privilegiis donatus sit. Quo sit, ut neque, in anno constitendo, veteres cum recentioribus conspicerent, sed mirum inter se in modum discrepant. Igitur, cum prorsus verosimile non sit, Chartuitium dicta illa ex literis accepisse Silvestri, dicta tamen duorum virorum, temporum locorumque intervallo disjunctorum, casu ex fortuito concurrere non potuerint, ut literarum Silvestrinarum editores primi dicta hæc ex Legenda Chartuitii pia fraude surripuerint, consequitur. Atque hæc ipsa res totam literarum Silvestri causam destruit; quas si quis non solum cum Legenda Chartuitii, sed & cum Gregorii VII. epistolis (r), ad Salomonem & Geysam Reges Hung. scriptis, contulerit, ex quibus eorum tam argumentum, quam formulae dicendi insuffitatores haustæ sint, facile adsequetur. Nobis immorari istis non libet; precipua enim literarum momenta toto hoc, ut & sequenti, capite, aliunde excutimus, nec pretium opera fuerit, scripturæ, nothæ per se & suppositizæ, argumentum ponderare.

§. 55. Ultimum est, quod & CHARTUITIVS, in Legenda S. Stephani, crucis insigne Roma a Pontifice adfirmet transmissum. Sed idem coronam quoque similis ait esse originis, in cuius tamen sententiæ partem contrariam tam aperta tamque solida rationum momenta

(q) Scriptorum nomina citat vir longe Celeberr. MART. SCHMEIZEL, in Comment. historica de coronis pag. 207.

(r) Literas illas allegatas vide infra, ad §. 64.

Fundamen-
tum tertium
ex testimonio
Legendæ
Chartuitii;

menta adesse vidimus, ut, his nisi expeditis, non possit scriptoris illius fides consistere; quod contra eum est uiaum. Roget, secundo, quis, quid hominis auctor sit? CHARTVITIVM Episcopum vocat SVRVS; quod vero nomen frustra apud vetustiores omnes alias quæsiveris, frustra, cuius loci Episcopus fuerit, investigaveris. Argute TIMON Bosnensem facit Episcopum, ita ut, si neque in hujus praefulsum episcopes fastis reperiatur, ratio aliqua superfit, quare omisso fuit. Fuerit Chartuitius, inquit, meo judicio, Episcopus Bosnensis, eum adhuc de jurisdictione domicilioque ejus liberaretur (s). Tertio, quemadmodum nullius loci Episcopum chartaceus noster CHARTVITIVS se dicit, ita Colomanno Regi Legendam suam inscribens; insigni iterum alucionatione, cui Regi auctor non prodidit, vel certe editor SVRVS monstrum utrinque aluit. Colomanus enim Hung. Rex, a. 1115. vita functus, intelligi nequit. Decreptum siquidem, in epistola ad Regem, scriptor sese vocat; coœvus hinc Ladislao fuisset, cuius auspiciis a. 1084. vel præcedente, Stephani Regis corpus elevatum colendumque publice fuit expositum. Si coœvus erat, absurde de Ladislao ad Colomanum, successorem illius proximum, scriptis: *Ladislus Rex, qui tunc ad reip. gubernacula sedebat.* Absurdiusque multo, de rebus, sua ætate gestis, dixisset: *Lapidum acervos effecerunt, qui postea longo illic tempore permanserunt.* Paucisque interjectis: *Mira quidem res, & nostris temporibus stupenda* (t). Denique quam hodie Transilvaniam vocamus, veteribus Hungaribus, etiam in latinis scripturis, dicebatur Erdély, Andreæ II. temporibus Ultrafilcania, Bela demum IV. regnante, Transilvania (u). Sed Legendarius noster Transilvaniam jam vocat. Quarto, si recentioris ætatis scriptor noster est, quod Timon agnoscit, pluraque id pronuntiata indicate fatetur: atque adeo si Colomannus, non ille antiquior Hungaria, sed Halicæ Rex, Bela IV. germanus, est intelligendus, cui

H Legen-

(s) Hæc & cetera, hoc paragrapgo allegata, TIMON differit, in *Imag. Hung. novæ cap. VIII.* pag. 56. sq.

(t) vid. *Scriptores rerum Vngaricarum* pag. 278. & 279.

(u) Suffragante TIMONE, in *Imag. Hung. novæ cap. X.* pag. 80.

58 *Ecclesiæ orient. ministerio relig. Christ.*

Legenda nostra inscripta sit, plus quam duobus seculis ab ætate S. Stephani distabat; an igitur in his, quæ omnium cordatorum fidem excedunt, firmus satis testis? Quanta & qualia sunt hæc, quod a Rege Stephano exstructum monachorum cœnobium, Hierosolymis, duodecim canonicorum collegium, domos quoque & hospitia, muro circumdata lapideo, peregrinantium Hungarorum causa, Romæ, insignis denique operis templum, CPoli, condita narrat (x). Tam memoranda facinora adeone coævis omnibus ignota, & oblivione sepulta manere potuerunt? Quæ autem, quinto, Legendarii nostri fides putanda est, vani, ad naufragium usque, fabulatoris crassorumque errorum rei? *Labitur, inquit Timon, in quibusdam, ejus tamen auctoritas non parvi est momenti.* Datur sane hæc venia permultis aliis, quod lapsus humanos veritati rerum gestarum subinde admiscent. Sed ita scribentem, ut totum narrationis argumentum sit una multiplicium portentorum scena, fidem humanam exsuperans, ac nullo penitus coævorum suffragio communita, minimus quisque error suspectum facit. Duplex commentorum ipsius nugacium, quibus, quantus quantus est, lutulentus fluit, specimen supra dedimus; ex quibus cetera, sibilis subinde explodenda, discas. Duplex item crassorum errorum exemplum accipe. Silvestri Pontificis nomen ignorans, Poloniæ tamen Regis, qui corona, jam jam a Pontifice parata, excidit, dum seire vult, *Miescam* appellat, ante demortuum, noctumque successorem Boleslaum. Graviore lapsu mortem Stephani ad a. 1034. retulit, cum scribendus fuisset a. 1038. teste HERMANNO CONTRACTO & MARIANO SCOTO (y); quibus utique in hæc re, a gratia atque odio vacua, tanquam ad annos illos proximis, plus fidei adtribuendum. Hermanno & Mariano THVROCCIVS adstipulatur, B. autem Rex Stephanus, inquit - - secundum quosdam 44. secundum autem historiæ, in ejusdem laudem ab ecclesia editæ, veritatem, 37. sui regni, dominice autem incarnationis 1038. anno, - - a præsenti seculo

(x) vid. *Scriptores rer. Ungaricar.* pag. 274.

(y) Vterque in *Chronico suo*, ad hunc annum, vid. §. 3.

lo nequam eripitur (z). Similiter annum nativitatis Stephani commemorans THVROCCIVS, Legendam de S. Rege allegat: at Legenda Chartuitiana nativitatis annum nullum designat. Conjecticas hinc, sexto, plures de Stephano Legendas olim exstisit, quarum aliae aliis fuerint, limpidiores. Certe THVROCCIVS & RANZANVS, res Stephani, ad Legendæ scriptorumque b. Stephani vita fidem, recensentes, multa aliter, quam CHARTVITIVS, narrant, multa, ab illo omissa, proferunt, multa illius ignorant. Ignorant in primis coronam & regalia insignia Stephano a Pontifice donatae ignorant solemnem legationem, Romam a Rege missam. Sed RANZANVS Stephanum ipsum, cum tertium & tricesimum atatis annum ageret, id est a. 1002. ad eam urbem accessisse perhibet (a). Quo tamen anno Regem in Hungaria commoratum, testatur diploma Archiabbatæ S. Martini, sepe nobis laudatum: anno autem sequente, bellum ab eo Transilvanicum, contra avunculum Gyulam, administratum esse, docet, ex Chronographo Hildensheimensi, ANT. PAGI (*). Vt jam nemo emunctæ naris dubitare queat, Legendarios illos, pro sua quemque libidine, finxisse ac scripsisse. Ad scopum itaque nostrum id cumprimit facit, septimo, quod Legendarius noster, & primus & unus, coronam crucisque insigne Hungarorum a Rom. Pont. arcessat; quem postea transcriperunt BONEINIVS & ex Polonis DLVGESSVS, tantu uterque fidei censendus, quantum dux ipse & auctor meretur. Mirum profecto! tanto testimonium BONFINII consensu excipi potuisse, contra veterum omnium æqualiumque suorum, THVROCCII & RANZANI, silentium, & quidem in re ejusmodi, quam nec seculo quarto decimo credidit ac concoxit Hungarus. Teste namque BODINO, ponderosa exstat intercessio principum Hungariæ, adversus Pont. Rom. legatum, a. 1308. Qui cum diceret, Stephanum I. Hung. Regem a Pont. Rom. coronam regiam accepisse, acerrime refliterunt, neque id Rom. Pont. ius esse denuntiarunt (b). Et haec tenus quidem dicta liquido consistunt.

H 2

(z) THVROCC. in Chron. Hung. parte II. cap. 34 conf. cap. 27.

(a) RANZANVS in Epitome rerum Hung. Indice VIII. circa finem.

(*) PAGI Critica in Annales Baronii, ad a. 1002. num. VIII.

(b) IOH. BODINVS de Repub. Lib. I. cap. 9.

fistunt. Conjecturam his nostram, salvo aliorum judicio, adjungimus, octavo, videri Legendam nostram circa seculi XIV. tempora, quibus ea Hungaros inter atque Pont. Rom. controversia magnis motibus agitata est, ab aliquo impostore confarcinatam & ad curia Romanæ causam accommodatam esse. Nec me, ad ultimum, movet TIMON, scribens, *Chartuitius*, inquit, *incerri loci antifides*, non tamen propterea fictitious commentitiusque scriptor est. Nam ut lubens admittam scriptorem a SVRIO, qui eum mutato, ut ipse de se prædicat, stilo edidit (c), ex integro fictum non esse, veterem tamen etiam eumque fide aliqua dignum fore, nec Timon probat, & nos gravissimis, ut puto, argumentis auctoritatem obscuri, novitii, insulsi atque erronei Legendarii satis evertimus. Ceterum, si cui Surianam editionem, ad quam Bongarsiana excusa est (d), vel cum vetustiore illa, cuius meminit SCHOEDELIVS (e), vel cum codicibus MSCptis, conferre liceret, credo equidem tela eum pleniore manu collecturum, quibus utrumque & Chartuitium & Surium conficat. Interea, dum id fiat, redeat Episcopus noster Chartuitius ad Legendariorum subsellia, in cathedram probæ notæ scriptorum tum demum collocetur, cum Legendariorum turba a communis objectione, qua, velut superstitiosi fabulatores, verarumque historiarum corruptores, vanorum rumuscotorum aucupes, homines obscuri, creduli atque infidi, ab emunctioris naris historicis impeti solent ac contemni, liberabuntur.

Iura & prærogativæ, circa res ecclesiasticas, ex Græcor. institutione ad Reges Hung. derivatae.

§. 56. Hæc de morum Græcorum vestigiis, in regalibus Hungariae insignibus, corona & duplice cruce, conspicuis, sufficiant, quamvis multo plura ad rem potuissent dici. Dubias narrationes & monumenta spuria paulo diligentius excutienda duximus, ne his impeti amplius armis possint, quæ explicare adgredimur. Præcellentes Regum Hungariae, circa res ecclesiasticas, jura & prærogativæ, quibus gavisi primis temporibus sunt, innuimus. Quæ omnia cum ex privilegio Pontificio Chartuitiique Legenda repeatat

(c) LAVR. SVRIVS in *Vitis sanctorum*, ad diem XX. Augusti.

(d) in *Scriptoribus rerum Hungaricarum*; unde, in Indiculo scriptorum, collector, de editore Surio, sit fides, inquit, penes ipsum.

(e) SCHOEDELIVS in *Disquisit. hist. polit. de regno Hungariae* pag. 2. ex edit. Ferd. Behamb.

inter Hung. primum plantatam esse evincitur. 61

tat INCHOFFER, & hoc duce, alii plures, falsos eos esse & fallere, demonstrandum erat. Non me fugit, atate illa, qua Hungari Christum colere coeperunt, Reges & Principes occidentis suo, circa sacra, jure nondum penitus excidisse. Sed hi fere erant, qui jura illa, ex antiquiore, eoque puriore, aeo per manus tradita acceperunt, aut, majorum exemplis animosius infistentes, ingratias Pontificum eadem sibi vindicarunt. Gentes autem tunc primum conversas accurate obserabant Pontifices, nihilque non egerunt, ut recens plantatae ecclesiæ suo arbitratu ordinarentur, suoque a nutu pendent in posterum. Græcos hæc contra illis constat fuisse moribus, ut partibus suis se rite defunctos existimarent, si quos Christiana pietate imbuere potuerunt: imbutos suis eos legibus rem sacram gubernare permisérunt. Originem proinde potestatis ecclesiasticæ, quam primi Hung. Reges exercabant, a Græcis quoque, a quibus in religione Christiana instituti sunt, repetimus. Quo refero, quod Stephanus Rex, suo consilio suaque propria auctoritate, archiepiscopen, episcopas, abbatias aliasque prælaturas condidit, & quibus visum ipse est, immunitatibus donavit. Et hinc jus quoque beneficia ecclesiastica suo arbitrio conferendi, eademque delinquentibus sua identidem potestate auferendi, sibi adseruit; quod jus ad omnes ejus successores, ad nostram usque ætatem, derivatum est. Ex eodem fonte ad Reges nostros promanavit facultas synodos sacras cogendi, iisdemque præsidendi, deque ecclesiæ rebus & cleri moribus, prælatorum suorum optimatiunque suffragijs, leges condendi,

§. 57. Episcopas & metropolitanam Strigoniensem prius a Prælature Stephano fuisse institutas, ipse in Legenda CHARTVITIVS tradit, unius Regis quam legationem Rex Roman mitteret (f). Eaque fundationes auctoritate ecclesiistarum, quam sine omni Pontificis consilio a Rege factæ fuerint, illi iterum, qui Principibus hæc jura denegant, testimonium bus donatae, edant, quando, præente CHARTVITIO, Silvestrum Pontificem, suis in literis, legatos regios ignoræ genis legatos appellantem, singunt.

H 3

Ergo

(f) CHARTVITIVS in Scriptorib. rer. Vng. pag. 271.

Ergo in gente, quam ad ovile suum pertinere ignorabat princeps pastorum, religio Christiana effloruit, incrementa cepit, sacerdotia & episcopatus instituti fuerunt. Sed hæc n̄ar' αὐθεντον. Firmissimum sententia nostræ præsidium colloquamus in *diplomate*, quo abbatiam S. Martini Rex Stephanus communivit; ex eo enim & prælaturas solius Regis auctoritate institutas, & ipsos Prælatos, quibus visum Regi est, immunitatibus donatos, eluet. Nam cum decimas, ad parochianum Episcopum pertinentes, Abbatii monasterii Rex addiceret; ne id Episcopus ægrius ferret, ipsum & ceteros, cujus auctoritate sint constituti, cogitare admonet. Nec minus dignæ, quæ sollicitius expendantur, sunt ceteræ immunitates, Abbatibus monasterii illius concessæ (g). Atque hoc illud est, quod, recitatis privilegii verbis, febricitare coagit INCHOFERVM, dum, *Multa vero, inquit, sunt in hoc privilegio, quæ, si ad striatum jus exigantur, admirationem pariant.* Verum enim Stephanum jure legari summi Pontificis, ut supra vidimus, circa ecclesiæ earumque jura, dispositissime, tradunt scriptores cet. (h). Ad Stephani privilegium, Abbatia S. Martini elargitum, quod adtinet, PETRVS PA'ZMA'NY Card. & AEppus Strigonensis, id ipsum se apud Abbatem vidisse, testatur. Abbariarum, inquit, omnium prima ac potissima, in Hungaria, fuit S. Martini, de sacro monte Pannoniæ, a S. Rege Stephano fundata, a. C. 1002. Cujus regii diplomatis exemplar, sancti Regis manu subscriptum, vidimus apud Abbatem modernum (i). Nos filium diplomatis præcipue suspicimus, ex eoque de tabula fide & antiquitate judicium facimus. Nam cum plurain eo sint, quæ peritissimum antiquarium, singula rite enodantem, requirunt, ita vel in unius capella, *Ante neminem, inquit, Abbatum capella incedat* cet. explicatione ingenium exercens INCHOFER, variaque commentatus, ad ultimum rem sibi non liquere fateri debuit. Totum vero ænigma dilucide expedivit, Vir maximorum meritorum gloria Illustris IVST. HENNING. BOEHMERVS; quem suo loco consulas licet.

(g) *Diploma ipsum vide locis, ad §. 6. citatis.*(h) INCHOFER *Annal. eccl. regni Hung.* ad a. 1002.(i) PETRVS PA'ZMA'NY, in *Actis & Decretis synodi Strigonien.* Append. II. p. 100.

cet (k). Ut episcopatus Pontificis Rom. consensu, auspiciisque Nuncii illius, a Rege Stephano institutos, lectoribus suis persuaderet INCHOFER, profert diploma Stephani, quo is episcopatum Quinqueecclesiensem fundaverit, a Fr. RAPH. LEVVACOVIRZ sibi, & que ac Silvestrinum illud, suggestum. Existimo equidem ex uno utrumque tabulario deponitum esse. Nam cum ad calcem ejus legitur, Actum in civitate Fauriana, novitium illud est. Gevr enim ab Hungarib[us], vel, quod celeberr. patriæ historicus, Vir summe Reu. Matth. Belius, mavult, Gevr & Geverinum, scriebatur nomen urbis, quæ Belæ demum Regis IV. ætate latine scribi ac dici cepit Fairinum (t). Germanicarum rerum scriptoribus antiquis Raba: Germanis quoque nostris Raab.

§. 58. Prælaturarum fundationes, solius Regis arbitrio & Prælaturas auctoritate factæ, ipsi & successoribus jus pepererunt, ut Prælatorum quoque electio eorumque investitura, a regia duntaxat voluntate & nutu penderent; quod, cum omnis memoria testatur, tum usus hodiernus confirmat. Adde quod, qua potestate Prælati a Regibus constituantur, eadem ipsos, si quid deliquerint, honoribus exuere, inque delinquentes id totum, quod in seculares quos-cunque leges præscribunt, statuere possunt. Docent hoc exempla tam vetera quam recentiora, & jura regni explicati tradunt (m). Observat quidem INCHOFER ex Annalibus PTOLEMÆI LVCENSIS, Magno Belgarum Chronicō & MARTINO POLONO, Regem Hung. Colomannum, monitum a Patchali II. PP. per literas, eidem renunciasse investituras Episcoporum, & aliorum Prælatorum (n).

Sane

(k). BOEHMERVS in Jure ecclesiast. Protestant. Tomo III. lib. III. tit. 37.
de capellis, cet. §. 6.

(l). BELIVS in Apparatu ad his. Hung. Monumento V. pag. 199. in subiecta nota (t). Suffragatur TIMON in Imag. Hung. nova, cap. II. pag. 12. adde superius dicta, ad §. 30.

(m). vid. VVERBOECLII Trip. juris consuetudinarii regni Hung. opus. P. I. tir. 11. §. 12.

(n). INCHOFER in Annal. eccl. regni Hung. ad a. 1000. pag. 262.

64 *Ecclesia orient. ministerio relig. Christ.*

Sane in annalibus PTOLEMÆI LVCENSIS id legas licet (o), & ex MARTINO idem recitant Centt. Magdeburgen. (p). Recte autem, hoc loco, ut nusquam rectius, INCHOFER, *De qua tamen re, inquit, nihil invenio in actis Paschalis II. plura vero in gestis Regum Hung. usque ad quintum, a fundata ecclesia Hungarica, seculum, facta contraria.* Nam cum investituræ nihil aliud sint, quam missio in possessionem, eorum honorum, quorum utilitates & commoda alicui conceduntur, ob officium vel servitium (q), investituris Hung. Reges renunciare non potuerunt, nisi jus dignitates civiles bonaque, cum prælaturis ab antiquo connexa, conferendi in alium transtulissent. Sed tantum abest, ut probari queat, eos jus illud suum in alterum transtulisse, aut de eo quidpiam remississe, ut ne dignitatem quidem & jurisdictionem ecclesiasticam alterius, quam suæ collationis unquam esse voluerint. Vide & legere animosas Invicti Matthiae Corvini literas, contra Pontificem, electionis Prælatorum jura Hungarum turbantem, ad Cardinalem Arragonie, scriptas, quarum argumentum claudit, *Et ut aperie cognoscat, certo scire Pontifex debet, duplicitam illam crucem, quod regni nostri est insigne, gentem Hungaricam libentius triplicare, quam in id consentire, ut beneficia & prælatura, ad jus coronæ spectantes, apud sedem apostolicam conferantur (r).* Commemorandum & illud est, investiturarum nomen in Hungaria prorsus non adhiberi, sed & electionis usurpari tantum de Episcopis, qui titulum ex aulica cancellaria, sine beneficio, obtinent. Ceteroquin utrumque eligendi & investiendi jus uno collationis nomine venire solet. Quia in denominatione cum aliquid amplius continetur, vocem *conferimus* e Cæsareo-Regiis rescriptis, quibus cathedralium ecclesiarum antistites designantur, recentio-

(o). PTOLEMÆVS Lucens. Ep. Torcellen. in Annal. ad a. mii. Exstat in Maxima bibliotheca patrum, Tomo XXV.

(p). Centt. Magdeburgen. Centuria XII. pag. 505. & 506.

(q). BOEHMERVS in Jure ecclesiast. Tomo I. lib. I. tit. VI. §. 62.

(r) de REVVA de Monarchia & S. coronare regni Hung. pag. 45.

inter Hung. primum plantatam esse evincitur. 65

re hac ætate, exsulare Roma cupivit (*): sed irritæ preces fuerunt. Ad scriptores redeamus, qui Hung. Regem Colomannum, is enim Paschalis II. P. R. tempore regnabat, investituris renuntiasse, narrant. Occasionem hi nobis ita sentiendi, ex Regis illius actis Dalmaticis, arripuisse videntur, sive perperam id, quod res est, edocti, sive Pontificum causæ perquam studiosi. Anno enim proxime antegresso, quo PTOLEMÆVS LVCEN. illud factum perhibet, Colomannus, in Dalmatia agens, Arbensibus privilegium largitus legitur (**), ut investitura tam ecclesiarum, quam Episcoporum & Abbatum, absque Regis consilio, fieri debeant. Causam autem privilegii Rex istam inferit, quemadmodum fuisse probavimus. Alia igitur ecclesiarum Hungaricarum, alia Dalmaticarum, ratio fuit. Denique, quemadmodum dignitates bo-naque, ex fundationibus avitis ad Prælatos pertinentia, Reges eis integra semper & inviolata contulerunt, ita & ad officium & servitium, ob eorundem bonorum utilitatem & commoda præstan-dum, eos adstrinxerunt. Et hinc, belli necessitate ingruente, non tantum Prælatorum quisque manum militum, banderium voca-bant (s), ad exercitum mittere, sed ipsi etiam castra sequi, & ma-num cum hoste conserere cogebantur. Ex infinitis exemplis commemorasse sufficiat prælium, quod Bela IV. a. 1241. cum Tar-taris, ad fluvium Saio, Ludovicus II. a 1526. cum Tureis, ad Mo-hacs, commisit: utrumque illustrium Prælatorum funeribus ad posteros celebratum. Vtius propterea Hung. Regibus fuit, præ-laturas viris, rei militaris peritis, nec minus manu fortibus, quam consilii plenis, conferre, ut eorum opera, in sagu & in toga, belli domique, ad publicam salutem, uterentur. Dolet INCHOFER Prælatorum hanc sortem & luget (t). Nec certe bellicæ curæ

I

Præ-

(*) vid. *Peculiares Principum Hugariorum in ecclesia dei prerogativa* pag.

64.

(**) vid. IOH. LVCIVS *De regno Dalmatiae & Croatiae* lib. III. cap. 4.
pag. 117.

(s) vid. Wladislai *Decretum III. art. 20, conf. Articulos dietales a. 1681.*
art. 46.

(t) INCHOFER *Annal. eccl. regni Hung.* ad a. 1000. pag. 262.

66 Ecclesiæ orient. ministerio relig. Christ.

Prælatorum cum cura animarum, in quam, ex muneri sacri ratione, unice incumbere debebant, consistere ac conciliari possunt. Sed neque honores, dignitates amplissimæque hujus seculi opes curandis hominum animis aptæ fuerunt. Eas tamen mundi sarcinas cum Prælati adeo non adsperrarentur, ut etiam non inviti humeros eis subderent, quidquid postea oneris pepererunt, æquo animo ferendum erat.

Synodorum
sacerdarum
potestas pe-
nes Hung.
Reges anti-
quitus.

§. 60. Clarissimum reliquiarum ex *institutis & disciplina* Græcorum est vestigium, quod Reges Hung. antiquitus synodos sacras coegerunt, eisdem præsederunt, nec cleri tantum, sed & optimatum consilio atque suffragiis, de rebus, quæ ad ordinem & disciplinam ecclesiasticam faciunt, statuerunt. S. Ladislai Regis decretorum libri I. inscriptio id abunde docet, estque hæc: *Regnante creatore & salvatore Domino nostro Jesu Christo, anno in- carnationis ejus 1092. XIII. Kalend. Junii, in civitate Szabolch, sancta synodus habita est, presidente Christianissimo Vngarorum Rege, Ladislao, cum universis regni sui Pontificibus & Abbatibus, nec non cunctis Optimatibus, cum testimonio totius cleri & populi. In qua sancta synodo canonice & laudabiter hæc inventa sunt decreta* (u). Si quis secum reputaverit, synodum dici sanctam, inque ea canonice inventa decreta, & quod in singulis capitibus, si forte extrema duo excipias, de rebus dispositum mere ecclesiasticis, non facile sibi persuadebit, civilem fuisse synodum, eoque, id temporis, nomine comitia regni generatim fuisse insignita; id quod non nulli exculpere vellent. S. quoque Stephani decretorum liber II. Colomanni vero I. rebus maximam partem ecclesiasticis absolvuntur: quanam vero auctoritate sint editi, ex cuiusvis videre licet principio. In Stephani decretorum libro hoc legitur: - - - quoniam unaquæque gens propriis regitur legibus, idcirco nos quoque, dei nutu, nostram gubernando MONARCHIAM, antiquos & modernos imitantes Augustos, decretali meditatione nostra, statuimus genti nostraræ, quemadmodum honestam & inoffensam ducant vitam eet. Colomann-

(u) *Decreta Ladislai*, ut & infra allegata Stephani & Colomanni videlicis ad §. 2. citatis.

Iomanni initium est illud: *Placuit Regi & communi concilio cet.*(*) Atque hæc, inquam, moribus Græcorum; cuius rei testimoniis plena sunt scriptorum ipsorum omnia. Graviter præ ceteris DEMETRIVS CHOMATENVS, AEPPIUS BULGARIAE, in *Responsis*, ad Constantiū Cabasilam, Imperator, inquit, ut communis in ecclesiis sapientum Princeps, & re & nomine synodorum placitis presidet, & auctoritatem ipsis largitur: ecclesiasticas ordinaciones disponit, & legem ponit vita atque officio eorum, qui altari inserviunt: quin & iudicis Episcoporum & clericorum, & electioni ecclesiarum vacantium, cet. Quæ & alia Græcorum dogmata, de jure Principum circa sacra, legi possunt apud LEONEM ALLATIVM (x), cives hoc nomine suos acriter increpantem, levitatemque adsentationis animorum eis exprobrantem. Sed non vidit ALLATIVS manticæ, quod a tergo est.

§. 61. In capite de conjugio clericorum Hungariorum ad disciplinam ecclesiæ orientalis sese olim conformasse, varia pariter indicia produnt. Hypodiaconis enim, diaconis & presbyteris ad secundas nuptias transfire, ac foeminas viduas & repudiatas ducere, denique his, qui cælibes sacræ admoti fuere, post suscepitos ordines, connubia contrahere, nefas fuit duntaxat (y). Sane & apud Græcos isti ab ordine ecclesiastico, & hodie & olim, excludebantur, secundum canones synodi œcumenicæ quini-sextæ, Conjugia clericorum, etiam post obtrusam a Greg. VII. cælibatus legem, in Hung. ad- missa.

(*) vide Peculiares principum Hungariae, in ecclesia dei, prerogativas, p. 33. seqq. quas a. 1707. Præpositus Capituli Scepusiensis, a Duce Confederatorum Hungg. constitutus, ut electionem suam stabiliret, typis divulgavit. Complures auctor Regum nostrorum prerogativas in compendio enumerat. Sed ignoravit genuinam illarum scaturiginem.

(x) LEO ALLATIVS de ecclesia occidentalis atque orientalis perpetua consensione lib. I. cap. 15.

(y) vide Ladislai Decretorum lib. I. cap. 1. & 4. Colomanni Decr. lib. I. Cap. 6. & Decr. lib. II. cap. 4. & 9. item Capitula synodalia Laurentii Strigoniæ. AEPPII cap. 53. & 54.

five Trullanæ (z). Verum enim vero, si qui ante assumtos ordines legitimis nuptiis erant innexi, hoc est, si virginem matrimonio sibi junxerunt, nec nisi semel mariti facti fuerint, non tantum hypodiaconatus & diaconatus, sed & presbyteri honores, post integrum, & quod excurrit, a suscepta religione Christiana, seculum, salvos in Hungaria retinuerunt. Sic enim, Ladislao regnante, in synodo Zaboltcheni, sancitum legimus: *Presbyteri autem, qui prima & legitima duxere conjugia, indulgentia ad tempus datur, propter vinculum pacis, & unitatem spiritus sancti, quounque nobis, in hoc, Domini apostolici paternitas consilietur* (a). Atque hæc, inquam, lenius & moderatius ab Hungaris decreta, a. C. 1092. legimus, cum ante annos duodevigiati Gregorius PP. VII. cælibatus legem clero suo universo violenter obtrusisset (b): antecessores vero Gregorii, longis ante ipsum annis, id summa perfectum ivissent contentionē. Quid Pontifex postea, fortassis rogatus, jam enim ecclesiā, per illa tempora, Latinam audiebant Hungari, eis consuluit, ex Colomanni Regis decretis dicere licet (c). Memorabile tamen dignumque in primis notatum est, quod Laurentius, Metropolita Strigoniensis, & decem suffraganei ejus Episcopi, in synodo a. 1112. celebrata, non obstante Pontificis Rom. severiore lege, moderatiorem etiamnum rationem iniverunt, de presbyteris, ante presbyteratum uxoribus copulatis, decerentes, *Presbyteris, inquit, uxores, quas legitimis ordinibus acceperint, moderatius habendas, prævisâ fragilitate, indulsimus* (d). Noluit tantummodo synodus, ut matrimonium diaconi & presbyteri, si cali-

(z) vid. LEO ALLATIVS de Ecclesiæ occidentalis & orientalis perpetua confensione Lib. III. cap. 8. num. 2. conf. B. HEINECCHI Abbildung der A. und N. Griechischen Kirche P. II. cap. 8. pag. 358. & 388.

(a) vid. *Ladislai Decretorum lib. I. Cap. 3.*

(b) vid. GEORGIVS CALIXTVS de Conjugio clericorum, sigillatim hoc quo ad caput pag. 427. sqq.

(c) *Decretorum Colomanni lib. II. cap. 9 & 10.*

(d) vid. *Capitula Synodalia cap. 31. ad calcem Bonfinii, ex edit. Sam. buci.*

cælibes munus in ecclesia sunt adepti, post hæc contrahant (e). Prorsus secundum canones synodi œcumenicæ quini-sextæ, sive Trullanæ (f). Hæc est illa synodus, circa finem seculi septimi CPoli celebrata; quam orientalis ecclesia œcumenicam semper agnoverit sancteque coluit: sed quam ecclesia Romana tanto acrius omni insectabatur tempore, quo fortius patres synodi cælibatus legem, universo ab Italos clero jam tunc injunctam, directis, can. 13. arietibus subverterunt (g).

§. 62. Ad ritus accedimus, ac S. Ladislai, de ritu jejunandi, le-Hungari gem, in Synodo Zaboltscheni a. 1092. contra Latinos conceptis antiquitus verbis scriptam, consideramus. LATINI, inquit, qui Hungarorum jejunium consuetudini legitime consentire noluerint, scilicet qui, postquam Hungari carnes dimiserunt, ipsi iterum, in secunda & tertia feria, concederunt, si se nostræ consuetudini meliori non consentire dixerint, quocunque volunt, eo vadant. Pecuniam vero, quam hic inquisiverunt, brabant. bic relinquunt: nisi forte resipuerint, & carnes nobiscum dimiserint (h). Incerti scriptoris manus antiqua, quæ plerisque veterum Regum legibus scholia nonnulla adlevit, ad verba legis istius, in margine, notat: Itali. Vngari olim ritum in hoc Grecorum servabant. Idem scholia ad Ladislai, de conjugio clericorum, legem, quam paulo ante recitavimus, adscriptit, Conjugati presbyteri, ante 400. annos, in Pannonia, ritu Graecorum. In recentioribus corporis juris Hungarici exemplis, e typographeo PP. Soc. Iesu, Tyrnaviæ, egressis, scholion illud utrumque resectum est, sola prioris voce initiali, Itali, superstite relicta. Sed hæc missa faciamus, in sensum potius legis investigemus. Feria secunda & tertia sunt dies hebdomadis, qui diem dominicum sequuntur, Latinis lunæ & Martis dieti. Nam a dominico ceteris hebdomadis diebus singulis feriarum nomen inditum fuit. Quod, a chronologis pridem explicatum, pluribus hoc loco inculcare, ineptum foret.

I 3

Jejuni.

(e) vid. Eadem Capitula cap. sequ. 32.

(f) vid. CALIXTVS De Conjugio clericorum, pag. 321.

(g) IDEM ibidem pag. seq. 322.

(h) vide Ladislai Decretorum lib. I. cap. 31.

Jejunium autem nullum aliud commode intelligi potest, quam quadragesimale; quod Hungari, moribus Græcorum, statim post dominicam quinquagesimæ, die lunæ, aūspicabantur, die Martis sequentibusque diebus, ad ferias usque paschatis, continuandum. Latini contra feria demum quarta, post dominicam quinquagesimæ, id est, die Mercurii, illud inchoabant; quem diem ideo *caput quadragesimæ* vocarunt, & a cineribus, quibus populus, eodem die ad ecclesiæ confluens, conspergebatur, *diem item cinerum*, ad nostram usque ætatem, appellant (i). Testem diversi hujus, apud Latinos & Græcos, moris citamus LEONEM ALLATIVM, scribentem, *Post hanc hebdomadem, nempe quinquagesimæ, die lunæ, Græci jejunium quadragesimæ aūspicantur: aliter ac Latini, qui Mercurii die incipiunt* (k). Loquitur quidem ALLATIVS de ritu, in quadragesima jejunandi, qui recentiores apud Græcos Latinosque obtinet, veterem tamen illum in utraque ecclesia esse, aliquot seculis prius institutum, quam lex ista apud Hungaros conderetur, ex allegato ALLATIO atque DALLAEO discimus. Quando autem ecclesia Græca, totis octo hebdomadibus, a carnium esu, ea jam ætate, ac diu ante, abstinere consuevit, facto post dominicam sexagesimæ initio, primamque jejunii quadragesimalis hebdomadem in casei, ovorum lacticiniorumque comeditione exegit, id vero de sola CPo-litana capiendum est; qua ritum suum ecclesiæ aliis, sibi cetero-quin ὄμοψή φου, morose haud obtrusit. Sed neque recte quis, ex legis nostræ silentio, concluſerit, Hungaros octavæ hebdomadis jejunium non observasse omnino. Id enimvero evidenter ex verbis legis colligitur, quantopere Latinos, duobus illis ante diem cinerum diebus carnes comedentes, exsecrati fuerunt Hungari, licet Latinæ tunc jam ecclesiæ placita sequerentur. Quod non fecissent, nisi alieno ab institutis Latinæ ecclesiæ ritu primitus fuissent imbuti, eidemque id temporis mordicus adhuc inhaſſerent. Solent nem-pe

(i) vid. DALLAEVS *De jejunis & quadragesima Lib. III. cap. 13.*

(k) ALLATIVS in, de dominicis & hebdomadibus recentiorum Græcorum, dissertatione, num. XII. conf. B HEINECC. Abbildung der Alten und Neuen Griechischen Kirche P. III. cap. 6. pag. 370. seqq. & pag. 388 seqq.

pe avitæ de rebus religionis opiniones penitus in animis infidere, ut nec post maximas facile conversiones longamque, nisi ægre admodum, dimittantur etatem. Clarus proinde ex dictis fit textus legis, Latinis diebus lunæ & Martis, post quinquagesimam, carnes dimittere nolentibus, exsilio pœnam irrogans.

CAPVT. V.

*Quomodo
HVNGARI
ecclesiæ Latinæ sunt ad sociati.*

§. 63.

Tameſi Hungari religionem Christianam primitus a Græc. Hujus rei
cis acceperunt, tempestive tamen ad ecclesiæ Latinæ fo- varie indi-
cietatem tradiuti fuerunt. Ejus rei causas, & quidem gitantur
potiores tantum, brevi edifferemus, ut opellæ huic nostræ,
quæ jam modum constitutum excessit, finem tandem faciamus.
Adſinitates igitur Regum Hung. cum oceſtentalibus Principibus
initas, inter primarias causas numeramus, quæ, quantum Hunga-
ros cum Latinis conjuixerunt, tantum a Græcis magisque di-
ſerunt. S. Stephanus Giselam Henrici II. Imp. fororem, uxorem
in Hungariam duxit. Stephani foror Ottoni Vrleolo, Ducis Ve-
netiarum & Dalmatiæ, nuptum data, Petrum genuit, poſt Stepha-
ni fata Hung. Regem, dictum vulgo Alemannum, ſed HERMANNO
CONTRACTO, de Venetia natum. Petrus porro Albertum Marchio-
nem Austriae adſinem, Iuditham, Germanicæ stirpis, uxorem
nactus est. Salomon denique, Andreæ I. Regis filius, Sopham, Baroniūs Iuditham nominat (*), Henrici III. Imp. filiam, in ma-
trimonio habuit. Adſinitatum illarum occasione ingens mox, ex
omnibus occidentis partibus, hominum multitudo, multæque il-
lustrium virorum familiæ, ex Germania potissimum, quorum
omni-

(*). BARONIVS Annal. ecclesiast. Tomo XI. ad a. 1074. mem. 83. sq.

nomina recenset THVROCZVS (1), certatim quasi in Hungariam confluxere; quos omnes patrios secum ritus comites vexisse, quis ambigat? Quid, quod pars Hungarorum, Bojis vicinior, statim a principio Latinis usus fuerit doctoribus, quos Pilgrimus, Laureacen. Episcopus, ad eos legavit. Cum porro occidens clericorum, ea etate, numero usque ad publicæ rei injuriam, laboraret, ecclesiastica hinc militiz cohortes, stipendia querentes, ad recens conversam gentem, quod & vicina esset, & multos jam in ea socios haberent, turmatim sese effudere. Ab altera parte C Politani perpetuis successionum in imperio fluctibus agitati, externarum rerum securi prorsus vixerunt. Et observare licet Græcos, in convertendis gentibus, hoc tantum egisse, ut Christo servatori in eis plantarent ecclesiam, quam fidei preceptis innutritam, sui ceteroquin juris esse passi sunt, nihil tam enixe commodatum relinquentes, quam canonum sacrorum, in administrandis ecclesia rebus, custodiam. Sic saltem cum potentioribus nationibus, sua opera ad Christum converfis, agebant. Ex quo ecclesiam in initio Hungaricam prorsus censemus suisse ἀνθρακον, nec Pontifici Rom. nec Patriarchæ C Politano, ulla lege, addictam. Romani e contrario Pontifices ultimam, in convertendis gentibus, manum non credebant se imposuisse, nisi summam, quam sibi arrogabant, potestatem ad votum simul stabilivissent. Mirari autem subit, qui factum sit, ut, contra solitam vim, Pontt. Rom. Hungaros, sua jam ecclesia ad sociatos, moderatius tamen longis annis, tractarent. Nempe connivendum alieno ritu imbutis tantisper fuit, donec opinio, de obedientia Rom. sedi praeflenda, animos hominum penitus invasisset. Postea vero quam spe, procedente tempore, sua exesse potiti essent, non desliterunt libertates ecclesia Hungaricæ etiam atque etiam succidere, adeo ut Regibus nihil fere, præter beneficiorum ecclesiasticorum collationem, salvum atque integrum relinquetur. Quamvis hoc quoque jure Pontt. quod quidem in ipsis erat, Reges ræpius exuere conati sint. Totum vero cum extorquere non possent, imposita Episcopis confirmationis, in curia Rom.

(1). THVROCZ, in Chron. Hung. P. I. cap. 10. seqq.

Rom. expetendæ, necessitate, & annatarum pensione, haud mediocriter minuerunt.

S. 64. Objiciat vero quis, quod, religione Christiana inter Vtrum S. Stephanus Hungaros efflorescente, S. Stephani Regis tanta jam erga Pontificem Rom. fuerit reverentia, ut se se gentemque suam, ac totum regnum, in curiæ Romanæ clientelam traderet. Quam fabulam rex seque regnumque suum curiæ Romanæ fabularum omnium levissimam nisi confecerimus, instituto nostro haud satisfecisse merito censri possemus. Primarium quidem subdidit? regiæ illius liberalitatis, sane plus quam enormis, columnen, diplomaticas Silvestri PP. II. literas, jam infregimus. Prius tamen, Gregorii quam literæ illæ ab INCHOERO orbi essent obtrusa, epistolas GREGORII VII. e. Hildebrandi, ad Salomonem & Geysam, Hung. Re-pistolæ. ges scriptas, prodigiosæ ejus donationis testes, plerique ostentabant censentur & refelluntur. Has igitur excutiamus. Increpat in eis Pontifex Salomonem, quod regnum, ex quo pulsus fuerat, a Teutonico Rege, non a Pontifice Romano, denuo acceperit. Rationem vero istam inferit, quod regnum Hungariæ SS. Rom. ecclesiæ proprium sit, a Rege Stephano olim B. Petro, cum omni jure ac potestate oblatum, ac devote traditum. Pontificiumque jus ipsum agnovisse Imp. Henricum, memorat; is enim, cum victoriæ, ab Hungaris, adeptus fuisset, ad corpus b. Petri lanceam & coronam Regis transmisit, & pro gloria triumphi sui illuc direxit insignia, quo principatum ejus dignitatis adtingere cognovit (m). In altera vero idem Gregorius, ad Salomonem, epistola, pontifici in Hungariam juris columnen in eo collocat, quod, cum regnum istud a barbaris - - - fuisset, post Constantini tempora, occupatum, eruptumque Romano imperio, cui ecclesia hæres successit, a Christianis Regibus ecclesiæ Romane, cui debebatur, restitutum fuerit. Quod, inquit, de Hispania luce clarus est cet. Hæc Hildebrandus ad Salomonem. Geysam vero Regem, in gemina pariter epistola (n), hortatur, ut in fide, Pontifici-

(m) BARONIVS *Annal. eccl.* Tomo X. ad a. 1000. num. 20. Eandem ipsam epistolam, rambe recœcta, exhibet, Tomo XI. a. ad 1074. num. 81.

(n) Fragmenta hæc literarum Gregorii, posterioris nempe ad Salomonem, utriusque vero ad Geysam, IOH. BODINVS adfert, *De republica*, cap. 9. Ex Bodino allegantur a SCHOEDELIO, in *Disquis.*

tificibus debita, melius, quam consanguineus suus Salomon, per-
staret, notum ei esse, adserens, regnum Hung. - - - nulli Regi al-
terius regni subjici debere, nisi sanctæ & universali matri ecclesiæ
Romanæ cet. Et iterum, Verum, inquit, ubi correpto dominio nobili-
b. Petri apostolorum principis, cuius regnum esse prudentiam tuam
non latet cet. His præcipuis Gregorius præfidiis utitur; nam ce-
tera literarum ipsius dictatoriae tantummodo voces, piæque fraudis
lemures sunt. Habeo vero, quod moneam, priusquam rationes
Pontificis probemus. Nullam hic coronaꝝ, Roma in Hungaria in-
missæ, nullam regii fastigii, ad quod Stephanum Pontifex evexe-
rit, nullam apostolici Regis cognominis, & crucis, velut aposto-
latus symboli, Hungaria Regibus collatæ, mentionem reperias. An
vero tam invidenda beneficia, tam commodo loco, quo cum ma-
xime reprobranda erant, Gregorius, pro animi elatione, tacuisse,
si sua jam ætate fabula nata ac credita esset? Beneficia certe ista
commemorando fortius coarguisset Reges, officii sui oblitos, quam
hæreditatem imperii Romani obtendendo. Vana perswasio ac de-
ridenda! Quasi eundem imperii dominum esse oporteat, qui urbis est:
& hæredem imperii, qui ad urbis dominum mille artibus est græfatus.

Refutationis §. 65. Jus, ex donatione Stephani exsculptum, precarium
continuatio. est. Legendarius ipse CHARTVITIVS, suas ad curia Romanæ pa-
latum fabulas componens, donationis istius ne indicio me-
minit. Nulla tanta Stephani erga Pontificem Rom. observan-
tia usquam elucet, cuius impulsu seque suaque illi devovisset.
Nisi forte INCHOFERO credulas aures accomodemus, narranti, rever-
tentiam Stephani erga Pont. Rom. tam fuisse servilem, ut, ad nomen
Pontificis, caput operiret, inque pedes provolveretur (*). Ille-
cet, qui semel veritatis limites transilire instituit, eum gnaviter
oportet esse fabulatorem! Ne vanum quidem illud filicernum,
CHARTVITIVS, in Legenda sua, ad eum modum deliravit. Rex Stepha-
nus autem, filium Emericum, in Institutione regia, ad honorem
regni

*sit. hist. polit. de regno Hung. pag. 147. sq. ex edit. Behamb, aliis-
que compluribus. Sed integræ Gregorii literæ ad Geysam scri-
ptæ, querendæ sunt in HARDVINI Conciliis, Tomo VI. parte I. pag.
1310. & pag. 1316. Alteram ad Salomonem nusquam adhuc inveni.*

(*) INCHOFER in Annal. eccl. regni Hung. ad a. 1002. pag. 279.

regni sui Pontificibus impertiendum exserte cohortans, Pontificem Rom. ne verbulo commemorat. Catholicæ fidei observationem eidem injungens, & Christi ad Petrum apostolum dictum illud, Matth. XVI. ad quod, tanquam ad sacram ancoram, Pontificibus consurgere solemne est, id quod & Gregorius, in altera ad Geysam epistola, joculari argumentatione, facit, explicans, *per petram Christum, per ecclesiam, in petra edificatam, gentem electam* & *divinam*, non hierarchiam, sub uno visibili capite, cum membris suis visibilibus, florentem, potentem splendidam & dominantem intelligi vult (o). Falso Salomonem Regem defectionis a curia Rom. Gregorius accusat, & multo falsius, quod ad Imperatoris Rom. auxilium confugerit, reprehendit. Ante Salomonem enim idem fecit Petrus Rex, a suis ex Hungaria deturbatis, vestigal Imperatori pactus, si se in regnum reduceret. In quo pacto adeo nihil reprehendendum invenerunt ejus temporis Pontifices, ut etiam Leo IX. Andream Regem, a quo Petrus regno iterum exutus fuit, solicite per nuncios monuerit, ut ne vestigal Imperatori pendere recusaret. Ipse quoque Papa, ut id Regi persuaderet, primum in Germaniam, hinc, comite Imperatore, in fines usque Hungaria profectus est. Sed surdo Andrea fabulam narravit, que infecta Imperator & Pontifex redierunt (p). En specimen obedientiaz, a priscis Hung. Regibus Pontificibus Rom. praeflita! Quam ob rem, contrariis his factis litera Gregorii falsitatis & vaniloquentiaz sole meridiano clarius coarguntur, ut verissime a FRID. SPANHEMIO scriptum sit, *Istud vero, de accepto regno a Romana sede, vulgatum est circa tempora Gregorii VII. quando scripsit hic Pontifex, - - - a Rege Stephano regnum Hung. ut S. Romane ecclesie proprium, b. Petro, cum omni jure & potestate sua, oblatum & devote traditum* (q). Denique, Henricum Imp. post Petrum, vi & armis, in regnum restitutum, coronam & lanceam ad corpus b. Petri, Gregorius transmisso scribens, coavis omnibus ignota loquitur. Unde vel INCHOFER ipse, *Nemo tamen, nisi fallimur, inquit, lancea & corona, ad corpus b. Petri missæ, meminit: ut id circa plu-*

K 2 *ribus,*

(o) in *Institutione regia, ad filium Emericum, cap. 23*; quam vide locis ad §. II. allegatis

(p) vid. FLEVRY *Histoire ecclésiastique Tomo XII. pag 595. & 596.*

(q) FRID. SPANHEMIVS *Operum Tomo I. col. 1502. sg.*

ribus, in loco tam insigni, auctoritas Pontificis expendenda supersit (r). Liberrime vero, HERM. CONRINGIVS, Henricum III. Cæsarem, inquit, Goone devido, lanceam ejus & coronam, pio affectu, Romanam misisse, non negaverim. At illum judicasse, Hungariae regnum Papis deberi, hoc profecto omni illi repugnat &c. Commenta hæc sunt hominis, qui hoc solum negotio sibi credebat datum, ut imperium Germanorum evertet, sibi autem, suisque posteris successoribus, dominatum aliquem divinum in omnem mundum compararet. Qualia proinde de omnibus pene regnis finxit, plurima sine rubore (s).

An Hungari latinos, inscribendo sermone vernaculo, characteres, statim post suscepitam rel. Christ. adsciverunt?

Fuisse tempus, quo Hungari characteres scriberent Slavonicis.

§. 66. Unus superat scrupulus, quod Hungari, contra exemplum aliarum gentium, Græcorum ministerio ad Christum adductarum, latinos, in scribendo sermone vernaculo, characteres, non græcos aut Cyrillicos, adsciverunt. Verum, quis docere ausit adhuc, quo charactere patriam Hungari linguam, aetate Stephani, imo totis, a Stephani regni auspicio, seculis, scripserunt? Linguam quidem latinam Stephani jam temporibus, in publicis regni negotiis & diplomatis, Hungaris familiarem fuisse, S. illius Regis & successorum decreta literarumque tabulae argumento sunt. Quod non mirabitur, qui assiduum Hungaricae gentis cum occidentalibus commercium, quod per adfinitatem Imperatoris & Regis mutuam maxime omnium effloruit, totque nobilium familiarium in Hungariam transmigrationibus adeo stabilitum fuit, ut quotidianum evaderet ac perpetuum, ad animum revocare voluerit. Quid, quod tam variae, tamque ab invicem linguis, moribus & institutis discrepantes, nationes, Hungarorum imperio ea iam aetate obnoxiae, sub communes leges cogi, inque congruum corpus coalescere commode non potuerint, nisi unius lingua vinculo. Eam vero hoc instituto deligi oportuit, cuius usus latissime pateret; qualis ex omnibus lingua tunc fuit latina. Enimvero fuisse tempus, quo Hungari sermonem vernaculum charactere scriberent Slavonicis, fidem nobis faciunt, que THYROCZVS, BONEINIVS, OLAHV, de litteris Siculorum, in Transilvania, prodiderunt (t). Supervacaneum autem

(r) INCHOFER in *Annal. eccl. regni Hung. ad a. 1000. pag. 263.*

(s) vid. Celeberr. SCHMEITEL de Coronis, in *Diss. pec. cap. VI. pag. 230.* Conf. B. SPENERI *Operis Heraldici part. spec. Lib. I. cap. IX. §. 17. p. 47.*

(t) THYROCZ. in prefat. *Chron. pag. i & parte I. cap. ult.* BONENIVS *Dec. I. lib. VII. NIC. OLAHV in Atila suo cap. XVIII.*

autem puto, quod hoc loco moncam characterem illum Slavonicum non esse, nisi græci cœspitem quandam: Siculos vero germanam esse Hungarorum progeniem; de quibus, more suo, id est, brevi, at accuratissime scriptit SAM. TIMON (u). Qui Siculi tenacissimi ab omni tempore fuerunt rituum & morum antiquorum; unde &, quos semel amplexi sunt scribendi characteres, eos constanter retinuerunt: ceteris Hungaris latinas, progressu temporis, literas adamantibus; forte quod celeri scripturæ eas judicarent utiliores, quodve, cum lingua latina usi, eas potissimum sibi efficerint familiares. Literas illas Siculicas Vir Summe Rev. MATTHIAS BELIVS, in quem nihil tam præclare dici a nobis potest, quod non infra viri summi gloriam, domi forisque partam, confistat, viginti ante annos, singulari exercitatione, expromisit (x). Ante ipsum vero, labente ad finem Sec. XVI eas in luce in protraxit JOH. THELEGDIUS, cum præfatione JOH. DECII BARONII (y). Has igitur si quis cum alphabeto Slavonico, quod, septem formis expressum, ANSELMVS BANDVRI exhibet (z), studiosus conferre voluerit, mea quidem opinione, reperiet, non nullas cum characteribus Slavorum tantam similitudinem habere, ut non ovum ovo sit similius: alia leviter sunt inflexæ, fronte potissimum, a dextra versus finistram converso: alia formæ, non diffiteor, diversæ. Cujus dissimilitudinis variaz adsunt rationes. Character enim Siculus, licet sola haec tenus alphabeti elementa divulgata sint, non tamen ab omni diversitate immunis proferri potuit. Differt non nihil Thelegdius a Beliano, iste a Meieriano, teste Summe Rev. BELIO (a). Nullum ego tamen vitii temere postulaverim. Nam cum Siculi, non calamo scriptorio, in papyro scriberent, sed ligneis baculis literas suas cultellis inciderent, fieri non potuit, quin molestissimus scribendi labor figuræ pareret, alias aliis, magis magisque dissimiles. Sed neque apud Slavos characteres iidem semper manserunt, quod obvia apud autores diversos exempla testantur. Unum obstat,

quæd

(u) TIMON in *Imag. Hung. novæ cap. X*, pag. 97. sq.(x) BELIVS de *vetere literatura Hunno-Scybica*.

(y) Exsile schediasma Msc. ex quatuor admodum plagulis eostans, Chr. Frid. Ayrmannus, histor. in academia Giessensi Prof. Celeberr. ex bibliotheca B. Maji, jun. liberalissime mecum communicavit.

(z) BANDVRI in *Imp. orient. sive Antz. CPolitan. Tomo II* pag. 118. sq.(a) BELIVS de *Vetere literatura Hunno-Scybica* pag. 25. sq.

78 *Quomodo Hungari ecclesiæ Latinæ sunt ad sociati.*

quod Slavi, Europæorum imitatione, a sinistra ad dextram, Siculi contraria ratione a dextra versus sinistram, literas suas, perinde ac orientales, coordinent. Huic vero argumento tum denum ad surgemus, cum quis antiquam, sive Hungarorum, sive Siculorum, scribendi rationem, vetusti alicujus codicis, fragmenti saltem annosi, fide confirmaverit. Nam ex quo tempore de his literis inter eruditos differi coepit est, nulquam amplius, præterquam apud Siculos, adparuere, neque ab ipsis jam scribebantur, sed sculpabantur. Proclive autem fuit sculpentibus, ob quamcumque laboris opportunitatem ordinem invertere. Nisi sit, ut, imitatione vetustæ suæ, e Scythia adductæ, scribendi rationis, Hungari literas Slavorum, cum eas adsciscerent, a dextra versus sinistram collocaverint.

Peroratio.

§. 67. Hæc erant, quibus initia religionis Christianæ inter Hungaros ecclesiæ orientali vindicaremus, dubiis ac fabulofis narrationibus non paucis, ad lucrum privatum accommodatis, de eadem fidelia deletis atque abolitis. Si quærendo magis, quam expressis scriptorum vestigiis insistendo, in nostro subinde arguento versati sumus, nihil tamen minus fore confidimus, ut institutum nostrum a candidis rerum æstimatoribus adeo non reprehendatur, ut etiam gratissimum eis accidat. Si enim, qui omnem abs se veritatem ad Hungaros derivatam, sed & diadema, ipsunque adeo regnum, suo Hungaros beneficio confecutos, totunque illud se vicissim, in præmium collocata operæ, accepisse, quod feudi titulo Regibus conferrent, invidiosius jactant, nihil, quam leves conjecturas, imo opiniones aperte erroneas, ex antiquiore ævo proferre, ac testimoniis hominum, suarum partium studiosorum, sese suaque tueri, recentiorum denique, quos infelicium temporum superstitione transversum egit, dicta allegare possunt; nobisne conjecturas nostras, suis semper rationibus communitas, expromere, ac conjecturis secus sentientium opponere, quas æqui inter se iudices conferant, ponderent, æstiment, nefas omnino fuerit? Fac denique conjectationes quasdam nostras non esse validiores, quam sunt illorum. At istæ, a tot annis, tot scriptoribus, tanto labore studioque elucubratae, non potuerunt hactenus melius exornari & confirmari: nostræ, si suos nachæ patronos fuerint, incrementa & firmamenta acquirere in dies possunt stabiliora.

F I N I S



AB: 154071



82

KD 28

Vd 17



Farbkarte #13



INITIA
RELIGIONIS CHRISTIANÆ
INTER HVNGAROS
ECCLESIAE ORIENTALI ADERTA.

DISSESTITO
HISTORICO-CRITICA

QVAM

A. D. O. M.

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM
ORDINIS VOLVNTATE
AC NVTV

IN REGIA FRIDERICIANA

PRÆSES
GODOFRÉDV SCHWARTZ

IGLOVIA-SCEPVSIENSIS HVNGARVS

P. H. M. A. G.

ET
RESPONDENS

ANTONIVS JOHANN

REG. BORVSS.

PHIL. ET THEOL. CVLT.

DEFENDENT

AD D. PR. KAL. MAJI A. S. CIO 10CCXL. H. L. Q. C.

HALAE MAGDEB.
TYPIS IOANNIS GOTHOFREDI MEYHII.

